



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...

Pars Altera Libri XVIII

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1625

Liber Decimus octauus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11182



IOSEPHI RIPAMONTII
 E COLLEGIO AMBROSIANO
 HISTORIARVM
 ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Decimus octauus.



Arabantur Ecclesiae Populoque Me-
 diolanensi decora & subsidia haec ;
 atque post paucorum adhuc annorum
 remisum ac fluctuans & inutile regi-
 men , futurum erat, vt ciues duo san-
 guine inter se coniuncti , alter huma-
 ni generis Apostolicum principatum adeptus, singula-
 ri studio Patriae salutem amplecteretur , alter ab eo
 datus Patriae Pastor, faceret hanc disciplinae sanctio-
 ris exemplar , illatusque demum ipse Celo , terra-
 rum orbem & celestium choros nominis sui gloria
 augeret . Pius IV. & Sanctus Carolus fuere isti, mi-
 nime ambiguâ mortalium famâ , quin Auunculum fi-
 lius

lius fororis magis multò quàm Pontificatus ipse nobilitauerit, & ille vicissim hunc per fluxos honores opefque caducas induxerit in tantæ sempiternæ gloriæ campos. Sed duo hæc *Mediolanensis* Ecclesiæ lumina; nondum publicis illata rebus stabant adhuc tantummodo in limine earum, spemq; & vq̄tam, nondum ipsius voti fiduciam ac robur expectatio publica conceperat. Interea Cardinalis Hippolytus, post Arcimbaldi mortem ex pacto recepta Metropoli, Vicarium subinde aliquem dabat; Ecclesiæ statum ipse obibat nusquam, & nihil perfecti aut emendati, vel in publicis ceremonijs ritibusque sacrorum, vel in eorum vita cernebatur, qui ista tractarent. Et Ferdinandus Gonzaga, cuius imperium & verecundia nonnihil ad Clerum quoq; continendum valeret, ob calumnias absens, quicquid illud auxiliij, & disciplinæ fuisset, abstulerat. Gubernante eo Prouinciam, vxor ipsius ob pietatem erga Sanctum Franciscum de Paula Ordinis eius homines Cumanâ viâ extra urbem benigne collocarat, quâ nunc Sanctissimæ Virginis Aedem salutiferi latices & votiuæ tabellæ nobilitant. Per idem tempus, Franciscani minores qui sibi ab legum suarum Obseruantia nomen indidere, commigrarunt in eum locum, vbi nunc Sancti Angeli Aedes Monasterio adiuncto pietatem ciuium & sanctimoniam Ordinis testatur. Non enim alibi quàm apud pium ditem populum talia domicilia superum hominumue cultui extruerentur, quale templum, & qualia tecta Fratres illic tenent; rursusq. non nisi spectata probitas & innocentia ædificantium illa ex alieno

E e e e e e

tantas

tantas ab vlllo populo stipēs eblandiretur, quantas hodie molibus insumptas eis ijdem illi equi contulere admirantur. Antea, Ordini ei Monasterium Aedesque sacra non longe inde propius mœnia fuerat antiqua & humilior; quæ tecta cum in proferendo pomœrio murisq; perducendis, dirui oportuisset, Patres translata huc materia nouam sibi & Diuo Sedem inchoauere; Antistesq; monasterij, vel Fratrum vocabulo, custos P. Franciscus Cusanus tunc fuit. Aedificationem Monasterij Templique nouam Gonzaghę liberalitate plurimum esse adiutam ferunt, vel quia erat, vt demonstraui, cupidus excolendæ vr̄bis animoq; munifico erga publica omnia opera, vel quia dirutæ prioris Aedis religione aliqua sollicitaretur. Sancte integreque ita Mediolani versatus, & quibus dixi criminibus ab obtretatione & liuore oneratus, deinde cum incremento famæ purgatus, & defensus noua sibi fortibus militiæ factis egregijsque consilijs apud Caesarem quærebat præmia, et præmijs, iam fruebatur eis, quæ vel ad calumniæ solatium, vel ad innocentia testimonium data erant. Non tamen redditus vr̄bi est, cui pietas hominis & præclarus animus in ea quæ dicta est solitudine, pastoralis curæ loco esse potuisset, & summa ei gratia cum Principe Philippo erat. Iam Caesar hunc Mediolani Ducem crearat, atq. cum perscribi traditionis eius auctoritatem iuberet, ita in diplomate erat præfatus. Tradere se Philippo filio Prouinciam Mediolanum, quæ esset recepta suis armis & defensa; quam vetusto Caesarum iure possideret. Id satis visum ad
coer-

coercendas linguas , quæ super ea re mussitantes ; procerum Imperij consensum requirebant , & ex Gallia præcipue fremitus audiebantur . Diploma confectum est in Bruxellarum vrbe , cùm iam Vallisoleti Philippus ad moderanda Hispaniarum Regna constitisset , iterum in transitu adita vrbe , caterùm minore apparatu exceptus , quia propere ibat , accideratque fama , molestum fore Principi , si officia iam vlla morarentur iter , ac de ea re moniti Mediolanenses erant . Equidem haud scio ego , quo possit ore quisquam vnquam priscos narrare casus , quandoquidem in tam recenti memoria variant annales , nec tamen magni momenti res erat ; sed volui semel notasse calamitatem historiae , quae tam breui æuo corrumpi possit & infuscari haud vlla re magis quàm scribentium culpa . Namque Capellonus homo Gallus , in tradendo Principis reditu , cum Maximiliano patruale suo rediisse ipsum refert , Mediolaniquè comoratum alius addit . Alphonfus Vlloa rerum Caroli scriptor , itinera illa seiungit , principesq; iuisse separatim mauult . Regij Chronographi temporum eorum æquales , & participes rerum , tradunt Maximilianum euocatum à Patre Ferdinando , dissimulata maiestate excurrisse priuato cultu ; post breue colloquium , pari arte deceptis hominum iudicijs remeasse vt Mariam vxorem ex Hispania publice deportaret . Rursus in vrbis monumentis memoria extat , qua pompa Maximilianum unà cum Patruale Philippo Mediolanenses acceperint , cum Principes in Hi-

Eeeeeee 2

spaniam

spaniam redirent. Prouincia interim rectorem acceperat Ferdinandum Toletanum, cui viro potestas Mediolani maior fuit, quàm quanta permittitur alijs, qui à Catholico Rege cum imperio huc mittuntur. Vicarium in Italia Generalem appellabant, quod ferè vocabulum & par potestas Exarchis fuit, cum Græcia nobis imperitaret. Anno salutis millesimo quingentesimo quinto Toletanus ille Mediolanum venit; vir seueri imperij; sed à quo propter trucem & bellicis tantummodo rebus intentum animum res Ecclesiastica solatij nihil speraret. Paulò postea Caesar res omnes humanas pio animo pertæsus, quæsito sibi ad vltima meditanda secessu, tradidit cuncta filio, qui deinde feliciter regnavit, eiusque propensio animi erga Metropolim & multa comiter in prouinciam benigneq; collata per totum eius deinde Regni tempus extabant. Non securitas & quies, non alia populis expetita bona minus vnquam destitit vrbis, quàm ex quo Philippus hic accepto à Patre imperio regnare coepit. Sub eius initia tamen etiam periculum Mediolani tumultu quàm re maius fuit, coniuratis cum Paulo IV. Gallis ad Neapolitanum Regnum inuadendum, quod Pontifex ille ad Sedem Apostolicam pertinere aiebat; & quia Regno illi semper socia periculis vrbis nostra fuisset, etiam itineris occasione ipsius, exercitum, qui in eam expeditionem ex Gallia proficisceretur, Mediolani tentaturum esse aliquid, inceserat metus. Ea suspicione Rex Philippus Toletanum quidem ad Neapolitani Regni

Regni tutelam transire iussit: vr̄bis verò & Prouin-
ciae gubernacula diuisit inter Daualum iuniorem, &
Christophorum Madrutium Cardinalem Tridentinum,
cui viro commendatione Caesaris purpura data erat,
fidusq; habebatur. Sed rem militarem Daualus ad-
iutore Ioanne Baptista Castaldo administrare ius-
sus: Cardinali ciuiliū rerum concredita separatim
cura est. Quae partium & imperiorum diuisio, ab
initio prudenter instituta, rerum exitu damnosa inu-
tilisque reperta est; & infausto Triumuiratui postea
nomen fuit. Hi, cū triginta millia armatorum iam
in Subalpinos descendisse, atque Neapolim versus iter
habere cognouissent, omisā discordiā, quae mutuis
inter se odijs infensos habebat, properi ac festinan-
tes coeperunt agere ac parare omnia, ne subito ipsi
incurſu opprimerentur. Suspiciabantur enim, ne Galli,
tumultu quidem & fama Neapolim irent, re autem
ipsa, animisque & secreta destinatione peterent vr̄-
bem Mediolanum, idque ab domo consilium attu-
lissent. Erat hoc tempore Mediolani summa rerum
omnium difficultas, quae res pertinerent ad geren-
dum bellum. Afflicta tot superioribus bellis & ex-
hausta prouincia, fessa vr̄bs collatione pecuniarum;
& plerique ciuitatis Principes, aut post arma respe-
xerant otium, aut perierant in armis; nec minima
calamitas, incommodumue rebus, intestina, licet ad
praefens dissimulata dissensio, quae Cardinalem inter
& Daualum, consilij quodcunq; alter attulisset, ini-
micos faciebat. Attamen, externo metu vrgente,
quasi

quasi certaminum suorum, vti dictum est, obliuiscerentur nonnulla, quae in praesenti periculo prouidenda erant, expediere communi consilio, quod ciuitas etiam ipsa aliàs experta discordes, admiraretur. Expleuere subitarijs operibus si quid absolutioni moenium deerat: primores vrbs ad portarum custodiam; cataphractus equites in prouinciae finibus summa cura disposuere: muniere raptim vrbes, Ticinum, Alexandriam, Cremonam: ad Valentiam, quae Pado flumini apposita est, tres cohortes Italarum, tres Hispani generis, totidem Rhaetos iussere praesidio esse, & castellum ibi excitauere cum eorum lacrymis, quorum aedes, fabrica illa deiciebat. Armare Mediolanensium vigintiquinque millia, quae copiae, aut dimissae fuerant, aut, ob non perfoluta stipendia vltro abierant à signis. Hispanum item Germanumque peditatum flagitiosè diminutum expleuere conferentis inter se consilia, quos rarò antea congregienteis videres, aut si congregerentur, salutatio tristis, & breue alloquium erat. Ab Triumuiris quidem ea parabantur; Galli verò, traiecto Dora flumine, pars circa Padum subistere, pars tetendere ad Casalem, quam in Monteferrato urbem habebant, atque per regionis eius pagos diuisi, nocturno tempore aggressi Pontem, quem Hispani in Stura amne fecerant, post grauem pugnam cum Emmanuele Luna, qui ibi in praesidio erat, dissipauere pontem, & quatuor armatis nauibus transmisere flumen. Iter deinde habebant ad Vercellarum Urbem;

bem ; quod vbi Cardinalis Tridentinus accepit, mit-
titur ab eo Ioannes Gheuarus cum fistulorum ala,
properum vrbi subsidium, priusquam hostium exerci-
tus ad illa mœnia circumduceretur. Sed cùm Galli,
mutato consilio repente inde auertissent iter, vide-
renturq; Alexandriam esse petaturi, Gheuarus etiam
flexit, vt anteueniret Alexandriam, monente Lopezio
Acunia, ne faceret; nam posse rursus Gallos flectere
ad Vercellas, & ab Casale deinde prohibere subsidium.
Gheuarus tamen cum sua ala (quadringenti & quin-
quaginta equites erant) Alexandriam intrauit. Galli,
neque Alexandriam, neque Vercellas, sed ad Valentiam
iuere, cumque Pontificis nomine ab oppidanis exerci-
tui com meatum petissent, quia non dabatur, quater
tormentis oppidum instituerunt, idque deditur quin-
to die postquam oppugnari coeptum erat. Ibi substi-
tere per aliquot dies principes Gallorum, vel ob ne-
cessariam quietem, vt reficerentur ex itineris labore,
vel ob consilia, quae in terra hostium iam subiecta o-
culis, capienda erant. Consilia autem haec fuere.
Brisacchius, vt in Taurinos ad duplicanda praesidia cu-
stodiasq; intendendas rediret, ne auersis ipsis ad ma-
iorum rerum conatus, Triumviri Mediolanenses im-
petum eò aliquem darent: postea veniens ipse ad exer-
citus, Termensem ibi dynastam relinqueret: is non
desineret obseruare tempora & occasiones carpendi
Mediolanensem Prouinciam, & omnia quaecunq; posset
damna inferendi. In id ipsum, ab Santiaco Biragus,
ab Casale, Bironus imminerent. Haec ad Valentiam
con-

consilia Galli inierant. Roganti Cardinali Tridentino, per legatum, quid ita, locum eum occupassent, atque repetenti Philippi Regis nomine, monentiq; vt abirét, responderunt, Pontificiæ ditionis esse locum, & liberos illac apertosq; aditus ab se præstari oportere. Peiguit inde Ghisa dux exercitus ire in Placentinos, Neapolitanumq; capessit iter, liberata ingenti metu prouincia vrbeq; Mediolano, quam si tunc inuasisset, minime dubitant, quin aliquanto felicior potuerit esse repentina hæc & fortuita expeditio, quam altera illa, quæ gentem armarat. Adeò scilicet infirma fuere omnia, cum regentium inter se discordijs, tum prouinciæ ipsius conditione, ob superiora bella, quæ sobolem militarem priuatorumq. fortunas affixerant. Enimuerò suo raptus impetu & festinatione Gallus transijt pacato agmine per Prouinciæ fines, admirantibus interea securitatem suam, qui cohorrerant præsentis terrore belli; variaq; fuit fama, cur omissa, quæ in manibus erat, occasione Galli sic abijsset. Distulisse, non omisisse negotium dicebantur: foederis lege præuertendam illis esse Neapolim; postea Mediolanum ituros. Vere fuit celeritas insita genti; & vbi longinqua penitus occupauere animos, præsentia negliguntur. Cardinalis autem cum æmulatore suo Collega, postquam, id quod sibi exspectarant, aliò transire discrimen viderunt, terrorem vltro statuunt inferre hosti, quò celerius abiret, idque ipsum tentauere prauè atque inconstanter, sicuti discordes oportebat. Nam Cardinalis cum exercitu collectio ac tyrone Binascum vsq; progressus,

tu

tumultuaria illa manu passim à signis abeunte, re tro
vertit iter; & collega Daualus, misso ad insequendum
Caesare fratre cum Italico equitatu, mandauit ei, vt
ne Padum transfret. Atque cùm debuissent in pri mis
cauere, ne quid alendo hosti relinqueretur in agris,
rerum omnium copia quasi de industria relicta in aper-
to est. Ita Galli, neque laceffiti, neq; laceffentes iere
per hostium terram cum partis vtriusque dedecore. nisi
Gallus ad maioris spei certamina properus raperetur.
Fama fuit etiam, Daualum, contemnentem Insubriae
arma, & iniquo ferentem animo, quòd sui nominis for-
tuna penderet ex tam exiguis viribus, egisse ob eam rō
pleraque velut indignabundum, & velut inuidentem
eorum gloriae, qui defensuri Regnum erant. Ibi arma
& gloriam, ibi Catholici Regis vires esse aiebat. Ita
III. viros inter exercitumque Gallorum, dum iur-
gantur dissidentue illi, dum per Prouinciæ fines hic
transit, haud leui periculo defuncta ciuitas erat; ac
tantus ab repentino barbarico itinere metus fuit, vt
postquam abierant Galli iurgiaq. Præsidentium conti-
cuerant, infidente animis tristi specie tempestatis eius,
habito nouo per totam urbem delectu, viginti quinque
millia ciuium armarentur, quod statuum præsidium Me-
tropolli esset. Ei militiae factum nomen ex Parente
Vrbis Ambrosio, cohortesque Ambrosianae appella-
tae, nimirum, quia in campo circa Basilicam, ad Car-
dinalem Tridentinum dabant nomina omneis, qui fer-
re arma possent; & militarem etiam egressi ætatē ple-
rique adscribi in eum numerum petebant. Tantum

Fffffff Gal-

Gallorum odium erat apud vniuersos, vt memoriã periculi recentis infensi etiam seniores degere vltro in armis vellent. Urbanæ eæ cohortes conscriptæ sunt anno altero postquam Carolus Caesar tradita filio rerum summa in Hieronymianum Monasterium sese abdiderat. Atque hic demum annus fuit, quo Cardinalis Hippolytus circa vitæ finem acrius oblatrante consciëntia omittere Metropolim agitauit, non spe iam vlla sicut olim respiciens ea quæ omitteret, neq. pacto aliquo interposito recepturus, sed constanter & seriò, tamquã suæ & Mediolanensium saluti tantæ rei iacturam daret. Volebat tamen ita abdicare se Metropolitanano iure, vt quæ sacerdotia, octo mensibus, diuiso sic inter Sedem Apostolicam, & Archiepiscopum anno, vacua esse contingeret, ea suæ dispensationis manerent; idq; a Pontifice Paulo indultum ei & concessum Rex Philippus postea abnuit, nimirum quia domus illa Estensium pronior semper in Gallum fuisset. Ceterum, permisso ei, vt viros idoneos nominaret, quatuor ipse commendauit, e quibus Archintus Pontifici statim absque exceptione vlla probabatur. Is Venetijs hoc tempore Legatum Apostolicum agebat, sub tribus iam antea Pontificibus maximis eo munere perfunctus, & nuper accepto successore ob negotia, quibus apud Senatum eum agendis noua mandata certumq. hominem miti oportuerat. Ibi nouus Archiepiscopus accepto nuntio de nominatione facta per Cardinalem ac de iudicio auctoritateq; Pontificis scripsit ad Regem Philippum, & petijt vt sibi ad capeßendam Metropolim benigne

annueret . Non potuisse honorem alteri demandari,
qui, maiore, vel obsequio & fide erga Regem suum, vel
erga Patriam studio & cura munus illud Pastorale obi-
ret . In eandem sententiam scripsere Decuriones
Vrbis , congrueratq; fortè, vt ab Senatu Sfortia Moro-
nus ad Regem eodem tempore legaretur . Ei data est
epistola scripta patrio sermone totidem uerbis . Ca-
tholice Rex . Philippus Archintus illustri apud nos
» loco ortus, ad annum hunc ætatis suæ sexagesimum in-
» nocenter & modeste vitam egit , atq. in grauissimis
» Reip. muneribus cum magna laude uersatus Maieſtatis
» etiam Vestra Parentem Caesarem Augustum commo-
» uerat opinione prudentiæ, ut Consiliarium suum esse
» iuberet atque haberet inter fideles intimosq. seruos .
» Nunc à Pontifice Maximo Archiepiscopus hic datur
» Vrbi nostræ , quæ per annos iam ferè quinquagin-
» ta destituta Pastore suo inter superiorum temporum
» damna cladem etiam hanc lugebat . Petimus à Ma-
» iestate uestra supplices , vt quoniam felicissimo Regni
» eius exortu cetera depulimus mala , quibus urgeba-
» mur , etiam ab Ecclesia depellere solitudinem ipsa an-
» nuente possimus , eaque datum Archinto Pontifica-
» tum ratum esse velit . Sunt litteræ viro aptæ regi-
» mini populorum : est animus imbutus Ecclesiastica
» disciplina & sacrarum rerum vsu : vitæ , quæ alijs in-
» star esse disciplinæ possit ; talique Pontifice , si Ma-
» iestas uestra annuat , Populus , & Clerus , & Ecclesia
» Mediolanensis , faciem recipient eam , quæ aliquan-
» do fuit , & quæ Metropolim decet . Optimo & ma-
» ximo

„ ximo Regij precamur imperij & vitæ spatia, quae Ca-
 „ tholicae fidei propugnator meretur. Hanc Decurio-
 „ num epistolam pertulit Bruxellas ad Regem ea lega-
 „ tio, quae de rebus fortè alijs mittebatur. Sed cum
 „ occupato ibi diuersis curis Rege ob bella & ambi-
 „ guam Prouinciarum fidem, Mediolanensium litteris
 „ postulatisq; tardius aduerteretur; post quintum ab
 „ ea legatione mensem litterae aliae petentes id ipsum
 „ mittuntur; eis quoque irritis tertia mittitur Episto-
 „ la scripta in hunc modum. Catholicae Rex. Cùm
 „ superioribus diebus Sfortiam Moronum ciuem no-
 „ strum ad Maiestatem Vestram Ciuitatis nomine sup-
 „ plicem mitteremus, mandatae cum primis ei preces
 „ fuerant super Philippo Archinto, quem datum nobis
 „ à Pontifice Maximo Pastorem, vt Maiestas Vestra
 „ probaret admitteretque petebamus. Et huic nostro
 „ postulato, quia responsi nihil dabatur, aliae nostrae
 „ missae litterae, de negotio req; ea frustra supplica-
 „ uerunt. Nunc nouas mittendi preces, tertiumq; sup-
 „ plicandi, necessitatem nobis fiduciamque praebent,
 „ hinc Maiestatis V. benignitas, hinc corruptior in
 „ dies disciplina Cleri, atque sacrarum rerum quotidie
 „ remissior apud nos cura, quia caput deest. Petunt
 „ à Maiestate Vestra fidelissimi semper Mediolanenses,
 „ ne cunctetur huic malo remedium afferre victrice sua
 „ dextra, scribendo, placere sibi vt Archintus Metro-
 „ polim capeffat. Id, & propter postulati aequitatem,
 „ & propter M. V. religionem posse impetrari magno-
 „ pere speramus; ac veluti iam impetrato, victricem
 can-

» eandem dexteram gratis erga tantæ rei munus animis
veneramur. Haec ipsa Decuriones Urbis ad Regem
scripsere; Cardinalisque Tridentinus, de moribus, &
grauitate fideq; Archinti congruentia testificabatur.
Distinebant adhuc Regem eadem curæ, quæ cognitio-
nem & responsa distulerant; & in eodem aliquandiu
silentio res erat, admodum interim sollicito Senatu De-
curionibusque Urbis, propterea quod, ad eam diem,
neq. audita legatio esset, neque ad trinas iam scriptas
publice litteras quicquam ex Regia rescriberetur. Ad-
fuere deinde totidem epistolæ Regis; ad Governatorē
Urbis vna, ad Decuriones alia, tertia ad Archintum
ipsum, quem, & Reuerendum Patrem, & Archiepisco-
pum, & amicum inscriptione prima Rex appellabat;
atque in omni deinceps parte litterarum, quamquam
regia breuitate scriptæ illæ essent, honorifica & pro-
lixâ cuncta legebantur. Exemplum earum huiusmodi
» fuit. Reuerende in Christo Pater Archiepiscopo dile-
» ste nobis. Acceperamus litteras tuas, quibus, & si-
» gnificabas nobis, quemadmodum Archiepiscopus Ec-
» clesiæ Mediolanensis à Pontifice maximo factus esses, &
» petebas, vt tibi ad honorem ineundum auctoritate no-
» stra suffragaremur. Sed tum occupati bello, tum vo-
» lenteis prius inquirere nonnulla, quæ cognosci ad Dei
» cultum & res nostras intererat, distulimus in hunc diem
» id quod ad possessionem Ecclesiæ tibi decernendam ar-
» bitrij nostri fuit. Nunc scribimus ad Governatorem
» istius Prouinciæ nostrum, vt absque cunctatione vlla a-
» gat rem, teque nostro nomine in iura omnia Pontifi-
catus

„catus Ambrosiani admittat ; quemadmodum quidem
 „ex ipso cognosces. Ceterum, sicuti nos fidei ac virtuti
 „tuæ libenter cuncta credidimus, ita tuum erit eniti
 „ac prouidere vigilantia & sollicitudine omni, vt
 „sacra pure ac sancte administrantur, & Populus iste quo
 „tidie melior fiat. Et Archiepiscopo quidem ita scrip-
 „ferat Rex: ad Decuriones verò minime dissimilis for-
 „ma litterarum fuit. Magnifici fideles amici nostri.
 „Redditæ nostri fuerunt litteræ vestræ datæ ad III. Cal.
 „Septembris, per quas exponebatis studium eius rei
 „vestrum, vt Philippus Archintus, quem Cardinalis Fer-
 „rariæ Archiepiscopum suo loco renuntiauisset, colloca-
 „retur in possessione Pontificatus, & nos vt super eare
 „mandata opportuna daremus, cum magna testificatio-
 „ne virtutum ipsius Archinti orabatis. Itaque, & pre-
 „cibus vestris, & hominis virtute commoti, & inprimis
 „quia diutius carere Pastore ciuitatem Ecclesiamq; ve-
 „stram minime decebat; mandauimus Gubernatori istic
 „nostro, vt ei rei finem imponat, itq; quomodo fieri ve-
 „limus, ex ipso cognoscetis. Gubernator iam Prouin-
 „ciæ vrbisque erat Ioannes Ficeroa, quem dissoluto Tri-
 „umviratu, Cardinaleq; reuocato, paulo antea miserat
 „Rex. Ad eum Epistola fuit hoc exemplo. Cùm supe-
 „rioribus mensibus à nobis petatum esset, vt Philippum
 „Archintum nouum Archiepiscopum in possessionem
 „Ecclesiæ Mediolanensis induci mandarem; eam rem
 „differri necesse fuit, vt certiora cognosceremus, tum de
 „vita, & cōditione Archinti ipsius, tum de rebus ijs, quas
 „Cardinalis Estensis eo abdicato Pontificatu sibi refer-
 „uabat.

„ uabat. Ac cetera quidem, & Mediolanensium ipsorū
„ testimonio, & affirmatione Cardinalis Tridentini, re-
„ perimus qualia vellemus esse; Archintumq. probamus,
„ ut fidum nobis, & muneri suffecturum; Illud uerò non
„ placet; octo mensium sacerdotia Estensi eidem dispen-
„ sanda relinqui. Quamobrem, ita admittes collocabisq.
„ in sua Sede Archintum, vt Cardinalis Archiepiscopusq.
„ prior dispensatione illa Sacerdotiorum excludatur; at-
„ que totum hoc vt ex animi nostri sententia administre-
„ tur curæ tibi erit. Tempore, quo Mediolanum hæ lit-
„ teræ perferebantur, non erat Ficeroa Gubernator ad
„ Urbem; sed accepto in Subalpinis Regio mandato, Se-
„ natui scripsit, vt rem eā ordine exsequerentur. Simul
„ acceptis ab Archinto litteris humanissime respondit;
„ Non potuisse honorem eum vlli demandari, quem ipse
„ faceret pluris carioremq. haberet. Optare, vt laetus
„ incolumisq. diu gerere Pontificatum possit gloriosum
„ ipsi, ciuibus, & Patriæ salutiferum. Aegre ferre quòd
„ in eiusmodi tempus inciderit res, vt fructus sibi opta-
„ tissimus eripiatur, quo, spectator, & particeps, & mi-
„ nister esse publicæ latitiæ solenniumq. initiorum, ac no-
„ uo Pontifici auspicianti pastorale munus coram infer-
„ uire voluisset. Mandasse Senatui, vt vice sua omni-
„ bus fungantur officijs, quò sint expeditiora cuncta ei
„ ad Ecclesiæ regimen, salutemq; populorum inchoan-
„ dam. Quanto maiorem Ecclesiæ squalorem videat
„ ex diuturno Pastoris desiderio, tantò magis id esse ac-
„ celerandum. Hoc accepto responso Archintus summa
„ omnium voluntate & gratulatione Ciuitatis solennia
„ parabat

parabat ineundo Pontificatui, cum Regij Oeconomi ex-
 orta repente actio impleuit suspicionibus animos, cun-
 ctæq. turbavit, & Archiepiscopum optimum ex Metro-
 politana sede in exilij miseras haud sine publico luctu
 coniecit. Oeconomus, Mediolani, iam inde ab Hispa-
 næ dominationis initio vocatur inter alios Regios Ma-
 gistratus e sacrorum ordine vnus, qui Regis nomine
 fit author, quotiescunque, vel à Pontifice maximo, vel
 ab Archiepiscopo, sacerdotium impetratum adire
 quis velit; idq; nomen, & ea potestas, exortis sæpe
 controuersijs, maiore aliquando fuit, aut minori iure,
 quàm hodie habetur. Fungebatur munere tunc eo
 Calaber Sacerdos, de quo homine sinistra fuit in vrbe
 fama, tamquam, praeter asperitatem ingenij, vitia quæ-
 dam alia Graecanica secum attulisset. Minimam eius
 vitæ labem esse aiebant, quòd sub Regiæ præfecturae
 obtentu interciperet Ecclesiae vectigalia, & sibi, non
 Regi vsurparet. Postquam is sensit Archintum iam
 inibi esse, vt iubente Rege, annuente Governatore
 Urbis, deducente Senatu, in Metropolitano folio col-
 locaretur, dolore amens, per speciem suæ fungendæ
 vicis adit Senatum, & multa, quæ commentus erat,
 profert, vt doceat, minui maiestatem atque periclita-
 ri si summum vrbis Sacerdotium Archinto ei relinqua-
 tur. Scripta quin etiam edidit capita accusationis
 suæ; quæ comperta sibi, quæ suspecta, quid insuper
 accidere posset, quid natura vrbis, quid ingenia po-
 puli, quid conditio Pontificatus afferre damnosum Re-
 gi, siue anceps, cuncta ordine exponendo, commouerat
 Patres,

Patres, non quidem vt assentirentur, sed certè vt Archintum ipsum de rebus eiusmodi commonefactum vel-
lent. Et ille quidem audita criminatione, ad vnum-
quodq. caput ita respondit, satis vt Patribus appareret,
neque in animo, neque in fortuna eius & familia, neq.
in superiore vita quicquam esse eorum, quæ ab calum-
niatore Calabro iactata erant. Itaque regia mandata
exsequenda, Pontificemque accipiendum consensu de-
cernebant. Mox Calaber, sicuti pedum doloribus in-
hibebatur, sella gestatoria delatus in Curiam, tam
truci spiritu, tam importuno ore causam egit, vt one-
rati Senatores & fatigati querimonijs atque denun-
tiationibus descenderent ad exceptionem denique eam;
posse Archintum ita admoueri regimini sacrorum, vt
præter diuina mysteria & aras, animarumq; salutem,
nihil aliud ille attingeret; cetera relinquerentur in su-
spenso donec Ficeroa Gubernator in urbem rediisset.
Videbat Archintus infringi Ecclesiæ authoritatem, si
sacer honor, & alimenta honoris, quæ iure antiquissimo,
& quotidianæ cõsuetudinis humanorũq; vsu necessitate
coniuncta inter se essent, flagitiosa ea diuisione separa-
rentur. Destitutũ se opibus, queis Archiepiscopi nomen
& persona niteretur, etiã ad sacra cum dignitate, obeun-
da inualidum fore; constanterque ideo abnuebat.
Satius esse, abnuentem sacri honoris contumelias,
in ea gloria extingui, quàm ex Insubriæ Metropoli-
ta Pontificeque Ambrosiano Semiepiscopum fac-
tum præbere sic ad ludibrium os, neque habentem
ipsum adiumenta splendoris sui, neque alijs ali-
men-

Gggggg

menta suppeditantem. De ea ratione consilij sui, deque Oeconomi intercessione, & iniecto pereum impedimento cum ad Ficeroam scripsisset, eiusmodi responsum accepit, vt ipsum quoque rationibus Oeconomi nonnihil esse commotum appareret. Rescripsit enim, nihil erratum fuisse Reuerendum Patrem, si possessionem sacrorum quocunque modo adijisset, vt fidem faceret, non emolumentum alicuius cura, sed pastoralis studio solitudineq; animarum id munus expectasse. Nunc etiam hortari, vt sicuti censeat Senatus, diuina complectatur; cetera non defutura ei cum primum ipse redijisset; & rediturum breui. Hoc responso accepto, maluit adhuc Archintus expectare Gubernatorem, quam truncum, & mutilum, deformemq; Pontificatum suscepisse. Postquam is redijt, tanto rursus fremitu, tantaque contentione Calaber Oeconomus exaggerabat damna simul & pericula Regiarum reru ex Archinti Pontificatu, vt amplius deliberandum, consulendumq; denuo Regem omnes censerent. Datis igitur ad Regem litteris, dum responsa expectantur, Pontifex Paulus, cognita interim Oeconomi intercessione, Regionumque motu, Pallium Archinto transmissit. Est insigne id Metropolitanæ potestatis, inter solennia gestamen collo summa pectoris humerosque cingens; ac munere utique tali, possessio Ecclesiæ Mediolanensis, ius in Prouinciales Episcopos, & cuncta alia iterum Archinto affirmabantur, quæ tunc essent data cum Archiepiscopus ille crearetur. Simul Apostolicæ literæ missæ vnâ cum eo insigni, queis Paulus Gubernatorem

natozem monebat, ininriam, quæ Archinto fieret, cõmunem esse ei cum Apostolica Sede; damnosam Vrbi, quæ tali interim Pastore priuaretur; ingratam Regi, qui probatum iam sibi & acceptum, calumnijs improbari alienis videret. Has literas Pontificis iussu offerre Gubernatori Archintus debebat; sciebatq. Gubernator ipse esse allatas; sed quænam esset sententia, vaticinando angebatur. Crediderat, anathematis esse denuntiationem, & diras intentari ni pareret. Itaque, & sermonibus iccerat haud obscuris, melius fore, si literæ eæ sibi non traderentur, & quoties crediderat adesse qui redderet, varie tergiuersatus erat. Demum reddita sunt arte & via, quam Archintus lenissime fallacem excogitauit; aperta q. & lecta minus offenderunt, quia mitem tantummodo obiurgationem, & paterna monita afferebant. Archintum tamen, quo minus, nec autoritate Apostolica subleuaretur, nec ei dies ipsa, qua cuncta mitigantur, nec lene alioqui Gubernatoris ingenium prodesset, multa assidue simul vrgebant; Calaber furiose importunus semper, & elatior nunc ob successum: alienata Curia, atque audiendo sæpius eadem suspensi iam etiam qui calumniatorẽ antea constantissime repulissent: perculsa ciuitas, & obiecto rebellionis crimine nutanteis etiam propinqui: Clerus ipse lætus presenti licentia, et ex orienti disciplina seueritatis infensus. Neque quicquam horum tam aduersarium Archiepiscopo erat, quam homo vnus è Clero, qui missus olim ab Estense Vicarius perseue-
rabat adhuc in eo munere, & magnæ cladis loco duce-

Gggggg 2 bat,

bāt, si translatis rebus, ac mutato summo Ecclesiæ regimine abeundum hinc foret. Instigabat iste Oeconomus, & ab Oeconomō vicissim instigabatur: vterque verò simul, nunc Senatui, nunc Gubernatori suggererant iras causasue irarum; gnarusq; Vicarius occultarum Ecclesiæ rerum, prodebat Regijs arcana Pontificatus, docendo, quæ iura quasue literas aduersus maiestatem depromere aliquando Archiepiscopus posset; Per eas artes & furta minister improbus, non præsentem tantummodo inuidiam eiectionemq; Archiepiscopo, sed gratiam sibi in posterum apud Hispanos, eorumq; commendatione aditum ad munera honoresue alios quærebat. Et materiem locumq; crescendi præbuerat huic Archintus ipse actione vna, quæ prima ei & nouissima Pontificalium fuit. Cùm enim accepto Pallio promulgasset edictum, quo monebat scribas hominesq; suos, vt conficerent rite documenta publica, formulasq; custodirent Ecclesiasticæ iurisdictioni conuenientes; confestim Vicarius eam rem ad Oeconomū defert. Oeconomus Gubernatori aperit; ac demonstrat, haud aliò pertinere id factum, quàm vt consensus authoritasque Regia tollatur ex omni iure sacrorū, ac inuito Rege maximam eam vrbs, & prouinciæ partem teneat quisquis ab Romano electus vrbs prouinciamq; turbare possit. Dum consulitur Rex, dum responsa eius expectantur, irruisse in possessionem Ecclesiæ Archintum, & Regi sic Regijsque illuisse. Si promulgare edicta actionibusue alijs vsurpare potestatem pergat, haud leuiorem fore indulgentiæ culpam
erga

erga contumacem, quàm contumaciæ ipsius aduersus Regem. Non dici plura attinebat. Per Franciscum Crassum, qui postea Cardinalis fuit, monetur illico Archintus; quoniam Regis mandata super eius Pontificatu expectentur, interim ei manendum esse extra prouinciæ fines; Excellentissimo Gubernatori sic visum; & ad dignitatem ipsius otiumq. publicum id enim uero pertinere. Tradunt, Archiepiscopum, eam denuntiationem excepisse tranquillo animo mansuetoque vultu, ac ne verbo quidem commutato vno, vertisse patrium solum; patriam vniuersam, exceptis impijs, ita indoluisse, quasi capite in illo salus publica exulatum iret. Bergomum abiit, opportunitatem credo Urbis, & Ecclesiæ illius secutus, quòd, & vrbs esset Venetæ ditionis, & Ecclesia numeraretur inter Prouinciales alias, præsideq. ac pastore tunc careret. Ibi, nec Regi Regi sue suspectum, in aliena terra, nec in orba ciuitate desidem fore. Progressus igitur quamplacidissime in eam partem, ad extrema Mediolanensis agri, traiecto flumine quod interluit, Bergomenses eos populos, ceu Metropolitim alteram excolebat haud magnopere iam memor Ecclesiæ qua arcebatur. Pontifex Paulus, re cognita sicuti gesta esset, ferire Apostolico fulmine Regios parabat; estque ab eo inhibitus collatâ in Oeconomi suspiciones culpâ; & Regiæ litteræ propediem ad futuræ dicebantur, quæ exsulem honorificè reuocarent. Is, tertio mense postquam vrbe excesserat, Bergoni moritur; atque allatis in ipso fere obitu litteris, quæ expectabantur, Mediolanenses, velut ereptum tertio iam

sibi

sibi Archiepiscopum luxere. Innoxios Archinti mores, & acceptam Celo virtutem declarauere ea, quæ mortē infecuta sunt, & obitu in ipso proteruia Dæmonum manifestè tumultuata est. Namq. inter cetera studia proximis adiuuandis, & procurandæ multorum saluti, fuerat hic etiam spiritus & confidentia Archinto, obsidentes mortalium præcordia Dæmonas euocare & pellere exorcismis; multæq. nobiles palmæ celebrabantur, quas profligato sic hoste retulisset. Bergomensis negotiatori diuiti & honesto filij fuere quinque dæmonijs obsessi totidem, & vnusquisque eorum ab Dæmone suo ita agitabatur, vt fœditatis & vâcordiæ certamen inter ipsos esse Dæmonas videretur. Lymphatorum certe aliorum nullum vnquam vidisse aiebant vrbis eius homines, quem amentia & furore cum fratribus hisce compararent. Post irritas multas Exorcistarum artes & fallacia promissa, aggressus Archintus infelicem eam miserrimi parentis prolem; grandiores quidem quatuor exemit Faunorum ludibrijs, minimus verò natu qui erat, pertinacius adhuc obsidebatur, & actus à Dæmone in fugam, ex patria domo proripuerat sese Mediolanumq. peruenerat paulò ante quàm Archiepiscopus more retur. Secutus abeuntis vestigia filij pater, non equi velocitate, non sollicitudine sua potuit æquare furialem illius gradum, Mediolaniqu; demum affecutus infelicem percunctatur quid ita consciuerit fugam. Respondit ex puerili ore Dæmon; factum id esse importunitate Exorcistæ, cuius violenta carmina stomacharetur. Neq. enim, sicut ignobiliores alios spiritus
ille

ille pepulisset, ita vim eandem in se esse valituram. Dixerat hæc; & paulò postea, compellato patre puer, momento, inquit, isto Archintus expirauit. Ei scilicet præfatio congruens deinde reperta est hora, quæ Bergomi decesserat Archiepiscopus exul. Celebre per ea tempora negotium fuit, auxeratq; rei admirationem reddita puero etiam huic salus postquam pater eum tumulo Pontificis admouit. Anno CIO IOLVIIII. ad xv. Cal. Sextileis obiit Archintus precatus vltimis tabulis, vt sepulturæ sibi locus Mediolani in Metropolitana Aede concederetur. Si id impetrare non posset, locum eundem in Basilica Thebæi Martyris Alexandri à Bergomensibus petebat. Inscriptionem quoque sepulcro composuit ipse mansuetudine eadem; scilicet, vt neque per ambitionem honores vltimos contempsisse videretur, neque propinqui vel amici, caritate in mortuum, vel adulatione in viuos ad inania delaberentur. Inscriptio fuit in hunc modum. Hic. est. titulus. monumenti. Philippi. Archinti. Archiepiscopi. Mediolanensis. Siue in patria, quod magis optarat, siue Bergomi tumularetur, retineri sepulcralem eum titulum volebat. Cumque pensiles tumuli fierent tunc illustribus fere viris, despectans sese infra ceteros, mandauit intra terræ viscera cadauer absurdi pauperum ritu. Non idem populorum sensus erga id quod vile adeò ipsi & proiectum; certaminaq. & lites ob cadauer extitere. Bergomenses, quia, & viuo Archiepiscopo terra illa ad exulandum placuisset, & ibi esset mortuus, vindicabant sibi Pontificis reliquias. Ciuitas nostra, & natalium,

lium, & testamenti iure easdem repetebat. Pontifex Max. ex Alexandro Archinto fratre mortui cognita causa, precibus dedit huius, ut Mediolanum arca deportaretur; quæ deportata & aperta, corpus illud, sicuti compositum in ea fuerat, nulla corruptum tabe ostendit; annusq. iam alter ab excessu exhibat. Considerantes huius Archinti instituta & mores animusq. nonnulli, qui deinde D. Caroli Pontificatum, & Sancti Pontificis vitam, ab initio ad finem usque, presentis & assidui Diuo spectauere, crediderunt, si vixisset ille diutius, neque prohibitus Pontificatu fuisset, formam Ecclesiæ, quam sub Borromæo instaurari posterior ætas vidit, sub Archinto prius iam tunc fuisse renouandam, & Archiepiscopos duos, qui temporum successione coniungebantur, rerum exitu dissimiles, similitudine inter se animorum aptissime potuisse comparari. Ac sanè mihi etiam intuenti Pontificalia rudimenta, quæ posuerat Archintus, cum Sancti Sepulcri prius, deinde Salinarum Episcopus fuisset, multum pastoralis vigilantia, multumq. sollicitudinis ex ea minorum Ecclesiarum administratione occurrit. Quos ille spiritus, si ad huius, & vrbs & Prouinciæ magnitudinem adiungere potuisset, credere licet, vel excolendis Ecclesiæ rebus, occupaturum eum fuisse gloriæ partem, quæ tota in Borromæum cessit, vel excultâ iam Ecclesiâ, purgataq. per ipsum vrbe, maiorem aliarum rerum campum diuinis Borromæi artibus ita potuisse aperiri. Non quidem adierat ille traditos sibi populos, Etruscum illum priorem & Gallicanum alterum, Romanis nempe nego-

tiji

rijs impeditus semper, & eodem retinente Pontifice, qui Ecclesiam vtramque mandarat. Ceterum, etiam absens omne pastorale munus impleuit; & quia Salinarrum præcipue vrbi hæreticæ contagionis periculum ex finitima Galliarum peste aderat, conscripto ad homines eos Catechismo, ita firmavit erudiuitq. gentem aduersus imminens malum, vt institutio ea præferat elementa disciplinæ, qua Sanctus Carolus postea constituit Metropolim hanc labantem. Infensus Ecclesiæ corruptelis erat, nec ea morum parte Borromæo ipsi dispar. Tradunt, obuio fortè Purpuratorum vni submisisse contemptim oculos, quia ille sui ordinis insignia non præferret. Et sub Pauli III. obitum cum nouo Pontifici creando comitia haberentur, Collegio toti litteras obtulit scriptum habentes, quæ vitia possent irreperere comitijs, & quomodo negotium id sanctissime administraretur. Amavit vnice Patriam, & ciuium ornandorum valde cupidus fuit, siquidem indolem aliquam virtutis præferrent. Eo studio Franciscum Sfondratum Pontifici commendauit, quem amissa vxore aptum Ecclesiæ rebus censebat; adeoque non est in ea existimatione deceptus, vt, Cardinalis hic fieret, & illata semel in domum purpura multiplicaret honorem, fastigiumq; etiam inferret illud vnde is honos datur. Namq. Nicolaus Francisci filius item Cardinalis, ac deinde Pontifex Maximus fuit. Tantum nobilissima Domus Archinto debet. Sed Angelum quoque Medicæum qui paulo postea sub Pij IV. nomine regnaturus in Ecclesia erat, produxit, plurimumque

H h h h h h adiuuit

adiuuit authoritate testimonij & consiliorum prudentia ac fide, quò certiore ad summa viam calcaret. Quae ipsa retuli, vt intelligeretur, habuisse Archintum istud etiam è Sancti Caroli moribus, vt ad summos Ecclesiae honores ipso potissimum duce atq. adiutore, clarissimi, & optimi ciuium peruenirent. Dabantque Archinto in id authoritatem honores gesti, vita acta cōfranter, & cum dignitate, apud Caesarem, apud Pontifices Maximos gratia, consilia saepe pacis ac belli penes eum; & amplissimorum munerum emolumenta repudiabat. Talis viri morte, Caesarem ipsum, accepto nuntio, commotum fuisse aiebant, & Oeonomo succensuisse, cuius calumnia, & insectatione ille vexatus fuisset. Tertio post mense moritur etiam Caesar anno quinquagesimo octauo postquam natus erat. Eius memoriam mansuram in hominum animis & ore famae, quamdiu litterae & homines manebunt, non recoluisse hoc loco, iniuria nostrae Urbis fuerit, quae ipsius armis exempta barbarico iugo, exulta saluberrimis institutis, muneribus priuilegiisque aucta, & quod maximum omnium fuit, in Catholici Imperij corpus assumpta celebrauit tanto luctu exsequias summi mortalium, quanta olim gratulatione aduentum eius celebrarat. Mediocre corpus ei, grata regio honore facies obtigerat. Bellator animus puero, nataque tot victorijs indoles, otij studia non perinde adamauit. Sed litterae & Philosophi sub alio nusquam Rege pulcrius steterè, inculabatq; ipse postea, quod non didicisset. Locutus est linguis omnium fere gentium,

tium, quibus imperauit, & naturae dono facundus erat. Multae secundae res ei, sed nec aduersa defuerit per omnem vitam; orbemq; terrarum ad vtrasque vices quodammodo diuiferat ei fortuna, vt in diuersa parte contrarios euentus assignaret. Fuere dimicanti Caesari prosperarum rerum sedes, Italia, Germaniaque, & Hispaniae Regna quoties rebellionem coeptrauere. America simul, & qua nouus orbis semiferis mortalibus habitatur, obnoxia vincenti Carolo semper fuere. Ambigui bellorum exitus per Graeciam, & Africam, Galliamq; & Flandriam eadem quasi fortis dispensatione contigerunt. Minus ad felicitatem fida pax ei semper fuit, semperque magnae rerum iniquitates, & magna discrimina lacefluere Caroli Caesaris gloriam, quoties quiescere voluerat. Pacem tamen ipsam sancte integreque administravit, & arbitrium egit omnium ferè Europae rerum, propositi tenax ad cuncta, quae destinauisset, Catholicae religionis defensor, qualem Ecclesia ipsa admirata est. Veluti proprium eius fuit, appeti coniuratorum insidijs, & punire seu debellare coniuratos. Sic magni & occulti rebellium conatus, quos India, Hispaniaue, & Belgium, & Neapolis dedere, sanxerunt exemplo suo per terras illas aeternam fidem; & exempla in omne aeuum ibunt. Aperto Marte vicit Franciscum I. Galliae Regem, captiuumque habuit domi & dimisit, quod gloriosius habitum est quam etiam vicisse. Saxonem & Lantgrauium capita Germaniae furentis, sub iugum missos, & coactos accipere leges, viuere

H h h h h h 2 iussit,

iussit, atque pristinam fortunam habere. Turcarum Imperatorem Solimanum nihil habentem ex barbaro præter nomen & sectam, cum vniuersa prope barbara coortum & armatum in spes vltimas afflixit clade, quam res Othomanae semper sentient. Ad auiti Imperij fines adiecit; Americam, & Mexici Regna, & Regna Peruana; mortalitatēq; illam, & alterum planè Mundum expertem salutis & caligini damnatum collustravit Euangelij luce; Prouinciam præterea Mediolanum, & Prouincias alias, quas deinde largiendo alijs constituit domos, quae nunc opulentia & maiestate Regum agunt. Vnico matrimonio contentus fuit, & spretâ ad extremum gloria, quam tantis rebus meruerat, deposito imperio quiescere voluit in piorum cœtu, atque ibi mortalitatem expleuit, nondum ille quidem in termino breuis aevi mortalium, si iustum exigere cursum plenis annorum spatijs liceret; sed maturauerant senectam labores & curae, delicata corporis constitutio laboribus impar, animi vigor assidue curas accersens; vnde nunc ingruerant morbi, & super cetera, non ferre erat insanos articulorum dolores. Annus, quo Caesar decessit, syderalis scientiae vanitate canebatur fatalis Principum Regumque funeribus, ciuitatum excidio, conuersioni rerum omnium humanarum, addebanturq; minae aliae caelestes, fulgura, terræmotus, et procellae cum multiplici strage hominum, & quicquid aliud pauet vita. Ei tam infaustae vaticinationi fidem adstruxerat Caesaris obitus, et crediderant prouinciae subiectae Catholico imperio

perio defunctas se esse suis malis hoc ipso, quod mors
 propra Caesarem abstulisset. Parentauere Mediola-
 nenses ita vt ob laetitiam triumphumue vllum nusquam
 aliàs antea perinde spectaculo fuerit omnibus Insu-
 briae populis ciuitas, quàm tunc ob moerorem fuit;
 et spectantium animos ab ipsa contemplatione moe-
 roris auertebant funebrium operum sumptus, queis in
 luxuriæ faciem testati suum luctum Metropolitanæ erant.
 Orationem habuit Franciscus Crassus, tunc Senator,
 postea Cardinalis eloquentiae & dignitate vitæ par
 muneris. Anno demum altero postquam Carolus
 Caesar diem suum obierat, mortuo interim etiam Pon-
 tifice Paulo IV. Cardinalis Ioannes Angelus Medi-
 caeus, Iacobi frater, Sancti Caroli auunculus at-
 tollitur in eius locum, et nouo nomine Pius I V.
 appellatur; statimque Mediolanensem Ecclesiam &
 Patriam omnem insatiabiliter ille decorare aggres-
 sus ipso Pontificatus initio praecipua curarum huc
 vertebat. Destinatum ei in primis erat, in sup-
 plendo Collegio assumere ex nobilitate Mediola-
 nensi idoneos viros sapientia & magnitudine ani-
 mi, & rerum vsu, scilicet vt tantae dignitatis
 splendore refoueret illustreis domos, superiorum
 temporum clade miseriaq; vastatas, & praesidia Me-
 tropoli in posterum etiam pararet. Ipsum primo Bor-
 romaeum Cardinalem creauit, admouitq; sibi in Prin-
 cipem fauoris & gratiae locum, nihil fortasse tunc a-
 liud respiciens ille quidem quàm vt sororis filio pio
 & prudenti circa summam rerum & arcana Pontifi-
 catus

catus inniteretur ; sed diuinitus alia , quae deinceps prodire , struebantur . Alios deinde nobiles Mediolanenses in ordinem eum cooptando , tum sacro Senatui decus , tum Metropoli robur addebat . Cooptauit enim asciuitque Antonium Cerbellonum , Ludouicum Simonetam , Franciscum Castelleonæum , Alexandrum Cribellum , Carolum Vicecomitem , Franciscum Crafsum , & Franciscum Alciatum è primoribus Urbis , siue prudentia literisq; primos . Ab eadem clarissimi sanguinis , vel eximiae literaturæ commendatione probatos sibi praeterea complures excire subinde ab Mediolano & addere Patribus in animo habebat , quorum nomina in commentarijs reperta sunt postquam ille decessit . Erant fere omneis è Collegio Iurisperitorum , quæ apud Mediolanenses est certissima nota vetustae & incorruptæ nobilitatis , atque in id collegium fuerat olim etiam ipse cooptatus . Ac beneuola erga ordinem eum recordatione , cuncta , quae possent esse decori & ornamento , excogitauit ultro & concessit , extructâ aulâ domicilioq; amplo ad quotidianos conuentus , datis insignibus , aureoq; torque , quod bini in orbem Abbates suo munere gestamen collo habent . Instituit , vt inter Rotæ Auditores , & inter Sacri Consistorij Aduocatos (Romanorum munerum ea vocabula sic vsurpantur) vnus e collegio perpetuò esset , iussitque caelibes tantummodo nominari ; nominatione per collegas facta , mitti quem Pontifex Maximus e tribus vnum probasset . Ita viderat fore , vt occasione muneris vtiusque , nuquam spes
col-

collegio abesset adipiscendi summa . Primi in eam spem idque munus ab collegio nominati, à Pontifice admissi, Pompeius Cotta & Franciscus Bossius fuere. Diploma concessionis eius Apostolicique priuilegij subsignauere Cardinales sicuti autographum exemplar inter Collegij monumenta extat . Haec & alia pleraque , vel praesidia , vel ornamenta Medicaeus ipso Pontificatus initio adiunxerat Patriae , quorum summum atque amplissimum fuit datus interim etiam Archiepiscopus ille ; qui cuncta pure ac sancte renouando restitueret Apostolicam Vrbi antiquitatem, & cuius denique nomen ac toto vulgatus orbe caelestis honor incomparabile decus fieret . Sed ingrati profecto sumus erga tam bene meritum de Patria Pontificem, si beneficia tantum memorauerimus, ob quae, alienigenae etiam Pontificis reliquam omnem tradi memoriam ius fasque erat. Tanto iustius, & ciuis, & Parentis nostri Pontificatum hæ literæ custodient, Metropolitique assignabunt, repetita etiam origine eius, & honorum cursu, per quos iuit. Medicaeorum nomen genusque Mediolani nullum antiquitus fuerat. Pulsi seditionibus ab Florentia commigrauerunt in urbem, cum patria extorres quacunque fors tulerat, nominis eius familiae dissiparentur. Iacobus Pontificis auus Mediolanum, casu, siue sponte delatus, in vico, qui Moronorum dicitur, confedit. Ea Paroecia Sancti Martini est, cui Nusigia gens condito templo cognomen fecit. Iacobo Bernardinus ortus, ducta in matrimonium Ceciliâ Cerbellonâ, complures suscepit ex ea liberos,

beros, e quibus secundo loco natus hic, fratris fama litterisque suis, et tegendis offensionibus profundo animo, per honorum gradus imos et ancipites, deinde per altiora feliciter, ferens semper dissimulansque multa, semper fortunae prioris memor, eò denique peruenit, vnde diuino nutu, Cardinalium suffragijs, Ecclesiae totius gratulatione extra fines mortalitatis assumeretur, Christi que Vicarius fieret. Stat adhuc in eo Moronorum vico Paroeciaque Nusigiensi, rudis, et antiqua, nec in honore domus, intra cuius parietes, Bernardinus et Cæcilia Pontificem procreauerunt. Et matrimonium illud ea vicinitas, quamdiu fortuna nihil mouebat, fortasse nihilo curiosius respiciens, quam cetera coniugum paria, thorsque humiles alienos, postquam ab tecto prodijisse illo Pontificem Maximum sensere, tamquam de principali Regione partu minutissima etiam cuncta narrabant. Quippe Caeciliam Matrem, ex proximo templo, quò sese rei diuinæ causa ipso Paschatis die contulerat, stimulante vtero, nondum porrectâ per Sacerdotem Hostiâ, redijisse domum, partumque edidisse. Bernardinum Patrem, postquam nunciatum ei fuerit, in eodem templo gratias egisse Numini, quod salua vxore filio auctus esset, votumque nuncupasse, vt qui natus esset infans, frugi piusque euaderet. Est in ædium ipsarum aditu gentilitium insigne Medicæorum, qui relictâ vetere patria Mediolanum profugere; sphaerula nempe vna exsculpta simpliciter in paruo informi lapide, media inter duas literas, quæ Bernardinum Medicæum dominum esse

esse testi pari simplicitate ostendunt. Nondum scilicet felici sua rebellione ac virtute Iacobus Pontificis frater, de cuius fortuna & exitu demonstratum est, meruerat, vt Florentiæ Ducum erga ipsum adulatio, ad solitariam illam ingloriamq; pilam quinq; alias adoptato velut stemmate aggregaret. In ea natus domo puer, nec segni patris cura, nec tarda ipsius indole erudiebatur, spesq. de eo tacita, & occulta domi erat. Simul huius aetas & literæ, simul fratris fortuna ingentesq. ausus adolescebant. Postquam inter Iacobi facinora & pericula, Ioannes Angelus ad Ticinum solita iuuenum curricula emensus, philosophaster quidam, & Leguleius, & nonnulla tinctus Medicorum arte, declamator item, & lyrici carminis artifex redierat domum, agitandis aliquandiu causis Mediolani exercebatur. Mox ingratum eum laborem animo grandiore pertæsus, abiit Romam, inuenitq. sibi ad Cardinalem Farnesium Collegij facilè principem aditu, comis ingenio, promptus ad obsequia, fidus Principi, simplex & apertus inter amicos, in aulicorum grege dissimulator, quocumque poterat modo sese aduersus fortunæ aulæq; lubricum regebat. Euecto ad Pontificatum Farnesio, iam antea fratris ope à Clemente Septimo Protonotarius factus, minoribus agitatur præfecturis, quæ tendentes ad maiora Romanos aulicos tentant in experimentum, aluntq.; & sæpe ex euentu, fastigia honorû, vel emortuâ ibi spem dedere. Asculum primò mittitur, quæ antiquissima Piceni vrbs, certamine partium, & factionum licentiâ similis rebellanti erat. Deinde Castellum in

Vmbria (id nomen vrbi) postea Parmam , spatio non-
 nullo interiecto Fanum rexit . In Pannoniam , in Ger-
 maniam Pontificij exercitus legatus , Anconam , Pe-
 rusium cum Imperio est missus , anxiam casibus interim &
 periculis vitam , quæ semper exercere virum ; & Pan-
 nonico bello , cum in exercitu versaretur , displotus ex
 Turcica bombardâ globus prateruolitauit aures eius
 rasitq; caput , ex quo postea surdaster fuit . Iacobus
 interim frater , per Martiam Vrsinam vxorem , cuius
 foror nupta cum Petro Aluisio Farnesio erat , Domui
 Pontificis per id matrimonium immixtus esse coeperat ;
 neque diu dilatus honos , qui in Apostolici fauoris præ-
 rogatiua primus vltimusue habetur . Archiepiscopus
 Epidauri primò , dein Cardinalis creatur ; atq; in Pur-
 pura etiam obnoxius periculis , siue liuori & obtrecta-
 tioni multorum erat . Sub Iulio tertio coactus ferre arma
 in nepotem Pauli , cuius beneficio venerat in Col-
 legium , Cassanensem in Brutijs Ecclesiam expeditionis
 eius pramium à Caesare adeptus sermonibus homi-
 num carpebatur . Cum Paulo Quarto nulla ei gratia
 fuerat in ipsa Collegij societate , & postquam is Cara-
 fa Pontificatum tenuit , ferebatur frequenti Patrum
 conuentu acerbè inuectus esse in præsentem Medicæum ,
 quòd multa prauè , & ambitiose moliretur , vt Medio-
 lanensem Ecclesiam ipse haberet . Quibus conuictijs
 intellecto Pontificis animo Medicæus statuit vitare of-
 fensiones , suosq; & illius oculos liberare . Itaque , per
 speciem curandæ valetudinis Lucam vsque progressus ,
 inde Mediolanum venit . Ibi in Patria , tum veterum
 ami-

amicorum cōsuetudine, tum studijs amoenioribus, quibus ab ineunte ætate deditus fuerat, iucundissime oblectabatur. Aedificia etiam à fratre olim inchoata per id tempus absoluit, ad Braidam in vrbe, ad Frascatulum, ad Melinianum; quæ subinde mutabat domicilia, cinctus arcto, sed honesto litteratoq; comitatu; & fuit ea vitæ forma, donec mortuo Paulo, Romam ad comitia proficisceretur, quæ supra cunctos mortales ipsū extulere. Post Carafæ obitum in Vaticano de more cōgregati Patres, cū de nouo Pontifice creando agitent, in quartum vsque mensem iurgia consultationemq; extenderunt. Quarti demum mensis exitu Cardinalis Medicaeus, quo demonstrauius apud Mediolanenses loco ortus, fortunaq; ad sexagesimum suæ ætatis annum vsus ea, quæ item demonstrata est, suffragijs omnibus eligitur anno millesimo quingentesimo sexagesimo salutis humanæ tertia fere vigilia noctis eius, quæ Christi natalem insequabatur. Moti Patres erant in eius rei deliberatione, cū ceteris virtutibus meritq; viri, tum vel maxime, quia superioribus annis, ob bella, & Tyberis inundationes premente urbem fame, diuiserat populo Romano magnum frumenti numerum, quem ex prædiis suis congestum in horrea habebat munifico eo in egenam plebem munere, pauperum pater vulgò appellatus, nulla ipsius iactantia nulliq; sermonibus; sed quia vere ille in tali tempore sustentauerat plebem. Mite id Apostolicumq; & excelsum interpretabantur etiam quibus graue exemplum fuisset. Præterea, testamento fratris heres relictus tra-

liiiii 2 diderat

diderat cuncta Xenodochio Mediolanensi, ut si quid culpae militariter ille contraxisset, ea in pauperes largitione foret expiatum. Fauerat etiam vnice ingenijs, atque inter ancipites illos casus, & magnis actionibus exercitâ semper vitâ, sapientiæ studijs excoluerat animum. Animus ei, sicut intime gnarus omnium fraudum, quas meditantur inter se homines, assidueq; exercent, ita cõpositus palam in faciem imaginemq; simplicitatis, & pleraque sane simplicissime agebat, vitatâ interim capitalium vocabulorum vâcordiâ, ne circa res Ecclesiasticas Hispanus Gallusue diceretur. Ita preparatis in se animis, post diuturnas intra conclaue diffensiones Patrum, vnius nocturnæ horæ momento Pontifex maximus creatur. Id quò fieret, præcipuo inter alios studio adiuuerunt, Collegij principes, Carolus & Alphonsus Carafæ, Alexander Farnesius, Sfortia, & Ghisa. Die ipso, quo Patres comitiorum eorum causa, intra Conclaue sese abdiderant, columba vna per fenestram in Sisti sacellum fortè deuolauit, leniq; in varias partes, per conclauiam illam meatu supra Medici denique operta confedit; idque tunc ijs qui viderant, ob alienam ab tanta spe simplicitatem illius Cardinalis haud sine irrisu acceptum, dato denique illuc pontificatu, felicitatis augurij loco omnibus fuit. Ita creatus dici sese Pium voluit, tamquam Apostolicæ benignitati paternisq; erga genus humanum sensibus nulla conuenientior appellatio esset. Festo deinde Epiphaniæ solenni quanta rarò alius publica gratulatione coronatus, erecto statim ad Remp. animo,

mo, & elusa eorum spe, qui segniter ac remisse regnatutum credebant, vniuersum Pauli pontificatum recognoscere atque examinare est aggressus. Ex institutis eius, alia per nimiae seueritatis rigorem apta lacescendis hominum culpis vertendoq; in contumaciam obsequio, mollius placidiusq; temperauit, alia dissoluta, & languida mutauit æquabiliter, & seuerè. Formam in vniuersum imperij ac disciplinæ sequebatur & volebat eam, quæ nec aleret vitia, nec animos irritaret. Leuibus hominum peccatis clementiam, flagitijs extremis pænes pœnas accommodabat. Initia Pontificatus hæc fuerunt. Volens deinde magno aliquo exemplo sancire disciplinam eandem, quam legibus decretisq; firmarat, simul, hoc in Ecclesia Christi necessarium esse exemplum videns, vt regnantium Pontificum propinqui meminissent, fore sibi sub alijs etiam aliquando Pontificibus viuendum, in Carafas cognita causa animaduertit quomodo nunquam vlla Pontificia Domus obliuiscetur. Rescudit aboleuitq. actionem, quam Paulus Carolo Cæsari, & Philippo Regi super Neapolitano Regno intentarat, atq; in eo iudicio ita est præfatus. Catholici Regis opes & regna, subsidia esse fidelia & firma Apostolicæ Sedis: quacunque Hispanus imperitaret imperitare Pontificem etiam Romanum: Nusquam alibi inuenturos obsequia Pontifices, si alienatum offensumue quippiam in ea parte esset. Pari præfatione verborum animiq. sensu Ferdinandum Austriacum Caroli fratrem patruum Philippi authoritate Apostolica Cæsarem appellauit, quod semper antea Paulus abnuerat.

nuerat. Pergebat inde eadem celsitudine animi miscere præmijs pænas, vt coercendis sceleribus, & fouendæ virtuti innocenti aeq; subleuandę nobilia in vtramq; partem monumenta Pontificatus sui relinqueret. Absolutus Moronus fidei crimine, quam eius nomini labem nonnulli adsperferant, non tam odio erga ipsum, quam ne Rex Catholicus ciuem eum Cardinalemq; Mediolanensem per alios suæ factionis Cardinales ad spem Pontificatus producere vnquam posset. Dempta alijs vincula, carcereq. emissi illustres & probi uiri, quos inimicus quemque suos cetera inculpabiles, prompto ad talia superiore Pontificatu calumnijs illis ineuitabilibus circumuenerat, voculâ delatâ aliquâ per quâ ambigua religionis arguerentur. Cardinalium vni, qui nequaquam innoxius rei capitalis arguebatur, adempta sacerdotia ampla, quæ obtinebat. Ea ipsa data probis alijs honestisque Cardinalibus, siue conuersa in vsus pios; & quæ ad Miramundum ille tenuerat prædia, Xenodochio Mediolanensi, quod inter alias Patriæ necessitates curæ Pontifici erat, cessere. Inter quæ, Patriarcha Christianorum Orientalium, qui trans Euphratem colunt, & Assirij cum eo nobiles in urbem venere, petentes, vt in Romanæ Ecclesiæ corpus Orientalis illa Ecclesia reciperetur; ipseq. Patriarcha apud Cardinales, Amulium, & Alexandrinum, in verba Pontificis iurauit. Fœdere scilicet eo nomen & fama Mediolanensium perlata vsque ad Indos, cum homines illi accepti à Pontifice perquam liberaliter, donisq. etiam in discessu culti, cuncta de origine eius & patria, sicuti curiosi & hu-

mani

mani admodum erant, cognoscere voluissent. Ab-
euntes petiere, vt Concilij Tridentini decreta, statim
vbi peracta res foret, sibi quoque transmitterentur.
Iam enim etiam ea grauissima actio Pontificibus ne-
quicquam alijs ad constituendam Ecclesiæ disciplinā
expetita & tentata, missis in omnia regna prouinciasq.
legationibus felicissime inchoabatur. In tumultuan-
tes inuidia rei per Galliā Vgonotos, à Fabritio Cerbel-
lono Mediolanensi consobrino Pontificis prospere di-
micatum: excitæ Regum prouinciarumq; fere omnium
legationes; & celeberrimi quique diuinæ sapientiæ stu-
dijs Tridenti adfuere. Ibi pontificis sumptu per bien-
nium alebantur. Collegij principes vrbe in illa Sedē
Apostolicam, Pontificemq. ipsum, quanto decuerat
splendore repræsentabant. Inter eos Simoneta Me-
diolanensis fuit. Romæ interim summa rerum confi-
liorumque omnium auunculi nutu Borromæum respi-
ciebat. Is vnà cum pontifice intentus Romanarum
emendationi rerum, adnitebatur sedulò vt domestica
disciplina toti Christiano orbi præferret facem.
Iniecta primùm omnium frena vaganti aulico-
rum licentiæ, adhibitæq; leges vt pure ac pudice ve-
uerent, vel certe absconderent flagitia, quorum inue-
terata consuetudo lente exfuitur. Regimen omne vr-
bis, tribunalia, Causidici, Scribæ, Quæstorium, & ara-
rij cura, satellites carceres, & quicquid aliud in magno
Imperio, magnoq; populo, principis Maieftas, & licen-
tia hominum requirit, suis cuncta decretis & legibus
opor-

oportune coercita, cum ad eam diem, licenter & dissolute haberentur. Proscripti gladiatores & homicide; sublata asyla: scelopi rotati breuiore inertis perfidiae capitalia tela, vetiti, & damnati: adiecta viridis galeri nota decoctoribus, in quos actio nulla alia creditori relinqueretur: coacti mendiculi in vnam sedem & publice eis constituta alimenta; aliaque multa generis huius priuatim ad vrbis Romae disciplinam pertinere. Concilio deinde apud Tridentum absoluto & dimisso, quae communiter Ecclesiam uniuersam attingebant, ea uti in mores publicamque consuetudinem inducerentur, maiore cura adlaboratum. Et priuatam rursus aliam in urbem curam Pontifex induxit subterraneis riuis, aquas, portas, viasque nouas aperuit, propugnacula & muros extruxit, laxauit Vaticanum aedificijs, aurata laquearia statuasque & picturas adiecit; quae opera frequentiam & admirationem hodie Vaticano augent. Ceterum, in tam splendido Pontificatu exsuperantibus, saepe vectigalia impensis, crebrae necessitates oriebantur imperandi tributa populo Romano, vrbibusque subiectis; & constitit, amplius centum quinquaginta millia nummum aureorum annuis redditibus per eiusmodi exactiones accessisse; eaque onera populis, & Apostolico Fisco accessiones mansere etiam vbi necessitati satisfactum erat. Gerenti ita Pontificatum auunculo minister Borromaeus particepsque consiliorum, & factus interim Mediolani Archiepiscopus erat, & muneribus praepositus aliis quae summa & amplissima Pontifices conferre possunt in eum, quem sibi e proximis vnice

vnice extollendum sumpserunt. Aronae is in auitae ditionis arce natus, exortu statim ipso spem de se magnam fecerat, comitante fama natales Infantis, tamquam splendor inusitatus supra tecti culmen emicuisset, vbi Margarita mater ediderat partum; deque ea celesti flamma, vigiles, qui in arce excubias agebant, retulere. Per omneis deinde aetatis gradus, puer, adolescens, iuuenis, affectatione sapietiae, pietate in Deum, contemptu mortalitatis, modestia inter aequales, auctoritate aduersus alios ita egerat, vt fortuitum eum fuisse splendorem illi etiam negarent, qui talia vltimi omnium credunt. Annum vigesimum alterum ingrediebatur cum ab Auunculo Pontifice Romam euocatus, Apostolica cuncta, praeter nomen sedemque tradente eo excepit. Habere virtutes idonea spatia campumque; virtutibus parem; & sicuti nullus vnquam antea Pontificius propinquus tam effuso studio, tantaque propter spectatam indolem securitate factus fuerat arbiter omnium rerum, ita non fuit, qui ex fastigio potestateque illa minus sibi vsurparet. Curatum modo Borromaeus & labores, continentiamque vsurpabat. Vaticanas noctes fuere documento, quibus nobilium literatorum instituerat sibi colloquia & congressus, cum diurna tempora summae rerum impenderentur. Concilij Tridentini stimulator auctorque praecipuus fuit. Eo absoluto contendit, vt decretis & institutis cuncta obedirent, ipseque primus omnium obediuit; ac coeperat ex eo tempore celestium vnus inter mortales haberi, cum antea summus tantummodo

KKKKKKK do

do mortalium haberetur. Mediolanensem in primis Ecclesiam ad ea Tridentina decreta conformare totam volebat, & accepta, sicuti dictum est, Metropoli, duos tunc innocentia vitae & rerum Ecclesiasticarum vsu laudatissimos viros Hieronymum Ferragatam Episcopum, & Nicolaum Ormanetum misit, qui noua illa disciplina mederentur vrbi, populumque & Clerum, donec veniret etiam ipse, continerent. Mox utique aderat aegre impetrata missione ab Auunculo, qui sese hactenus exorari patiebatur, vt vellet eum redire Romam simul atque prouincialium Episcoporum acto conuentu, grauissima quaeque constituisset. D. Carolus anno post Virginis partum millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, relicta Romanarum rerum maiestate, quae ad ipsum Auunculi nutu tota respiciebat, Mediolanum venit, nouam suo Pontificatu salutem ferens Vrbis, cui prior antiqua salus ob temporum miseras, & hominum vitia coeperat prope irrita esse. Per tot namque annos inhibuerat nemo: vixdum quieuerant bella: ex bello pesteque assurgebat ciuitas disciplinae expers, atq; vt inter calamitatum & gaudiorum extrema, fere accidit, oblita velignara honesti. In hos mores inducere, non honesta solum, sed etiam Apostolica instituta, sicuti parabat nouus Archiepiscopus, arduum, nec nisi mentis diuinae erat; eamque diuinitatem, & celestem in mortali corpore spiritum, & continua miracula vitae Pontificatusq; eius, ac decerni denique Celum vidit eadem aetas, quae tale hominis miraculum tulerat.

In-

1565

Ingens materia nouo operi, si quis experiri uolet an ea omnia possint adhuc uerius explicari, quam quomodo tot aliorum voluminibus explicata consignataque extant. Me certe, quasi meditantem tale quiddam aliosuè prouocantem iuuat in hoc operis fine sternere quodammodo ad id uiam. Et quia Pontificatus ille D. Caroli, sociâ Philippi Regis maiestate ac religione, mutatae in melius Reip. principium urbi nostrae tulit, ac noua post id tempus facies & forma sacris profanisque rebus, tum quaesitiore rituum cultu, tum piorum operum atque aedificiorum amplificatio- ne, studiisque etiam litterarum & artium extitisse uisa est, repetam de origine statuque urbis & Ambrosianae Reipub. omnia, quae magnae surgenti Historiae quasi praebere vestibulum possint; eaque narratio, tum prioribus libris omissa multa supplebit, tum posteriora delibabit. Parua principio Urbs, & ante urbium aliarum Italicarum magnitudinem, nulla alia re, quam uetustate originis celebrata, paulatim deinde bonitate soli, uirtutibus atque uitijis incolarum, finitimorum inuidia, uel si quos ex longinquo sollicitauerat cupido terrae potiundae eiusdem, tantopere creuit opum siue calamitatum famâ, ut diu nulla felicior, diu inferior nulla, uel ciuitas, uel prouincia haberetur. Decius Ausonius Poeta, qui pueros Caesares Mediolani erudiuit, ab Troianis usque temporibus petit gloriam famamque Urbis; neque ego ab dira terrarum omnium eluione, nepotibusque Noemi proxima fabulis, & inuidiosa illa admiserim, quae nonnulli ta-

tamen in tradenda Mediolanensium origine, firmare
re testimonijs, coniecturisque & argumentis rerum.
Est haec certe vetus infania scribentium, ut primor-
dia urbium semper antiquiora facere, seculisue adde-
re quamplurimum velint. Sed Urbem Mediolanum
constat, anno fere millesimo ante partum Virginis,
ab Sicambris esse deuastatam; inde Etruscos irrupis-
se; hos rursus pulsos à Belloueso Gallorum duce; qui
quoniam diutius aliquanto, quàm cetera barbaries In-
subriam tenuerit, conditor urbis imperijque huius in
annalibus plerisq; appellatur. Romani deinde Gal-
los eiecere; & Romanorum imperium adspernati Me-
diolanenses gessere cum his bella; quorum exitu vic-
ti ac deliniti beneficijs, meruere vicissim obsequio
vt Caesares huc aliquando transferrent sedem; rur-
susque rebellis ei dominationi ciuitas, libera, vel ser-
ua fuit cum euentis & fortuna, quae superioribus li-
bris demonstrata est. Et antiquitas quidem, priscaq;
gloria urbis ita sese habet, neque tam incredibilis
& profunda quàm fabulosae historiae tradunt, neque
secunda rursus urbis alterius antiquitati, quae ab ori-
gine sua casibus superstes hodie incolatur. Etiam in
asserendo veterum Regum illustriumq; virorum pro-
uentu, qui, vel imperitasse hic, uel profecti hinc esse tra-
duntur, inducta ad miraculum & pompam nomina
prompte repudiauerim. Furor profectò fuit, furor, Gal-
uaneum Flammam & Philippum Sepriensem prodere
ausos, Ianum & Manassen Abrahami fere temporibus
Mediolani Reges ex Angleriae Comitum Domo, &
Reges

Reges alios viginti septem ante Gallorum aduentum, & alia pari ad fingendum temeritate, quasi puerorum secula successura essent, apud quos eiusmodi mendacijs fides. Sanior memoria prodidit, Iulium Didium & Valerianum, & Galienum Liciniumque & Constantium, & Theodosium, & Galerium ab Mediolano oriundos fuisse, quosdam eorum & Mediolani natos; eique nos memoriae assentimur. Omnino autem habitauere Mediolani, multumque delectati sunt terrae huius ingenio, Iulius Caesar, & Pompeius Magnus, & Traianus, & Diocletianus, & Constantinus, & Constantius, & alij; insuperque triginta amplius Imperatores coronam hinc acceperunt. Ingentis animas, quae per omnia, vnde nomen & splendor hominibus & urbibus venit, auxere Patriae decus suo, tulerat Vrbs ante D. Carolum, neque deinceps ab ea parte sterile solum fuit. Namque Pontifices maximi, quo imperio & nomine nihil capere mortalitas altius potest, idque adeo est longe supra mortalitatem, prodire inde sex numero, splendore ac sanctitate Pontificatus, omnibus comparati, qui fuerant antea, quibus deinde succedere. Nec tamen abfuerunt nonnullis eorum si quae in fastigium etiam illud citra diuinarum rerum inuolabilem maiestatem vitia humanum animum comitantur. Sed Alexander Secundus ex Badagiorum gente clara olim nunc vix nota Mediolani, uitij omnibus humanis longe superior, in magno dissidio, quo tunc Ecclesia lacerabatur, magnaue Henrici Caesaris pro Pseudopontifice Cadolo pertinacia, legitimus ipse iustusque Pontifex, suffragia Cleri, & auctoritatem Apostolicae Sedis

Sedis absque ulla alia mortali cura retinuit constantissime ac defendit. At Vrbanum III. Ioannis Cribellif. pari uitae innocentia, robore minore animi moeror absumpsit, cum obsessae Hierosolymae suppetias ferre parantem, in medio rerum conatu nuntij captae sacrae Urbis oppressissent, Celestini Castelleonei propepera mors, & ille uiginti dierum Pontificatus Ecclesiam uniuersam perculit in longum tristi recordatione magnarum pastoralium uirtutum, unde auream rursus aetatem grauata malis tempora sperarant. Fuit hic ex Castelleonaeorum domo, cui tam breue decus illud, Ecclesiae annalibus & omni publica memoria prorogatur in hunc diem. Longioris aeuu Gregorius X. e Vicecomitum stirpe, maior etiam clariorque Celestino habitus est, nisi quod, ubi summus iam mortalium ipse erat, non desijt meminisse factionum, quas in minore fortuna secutus fuerat occulte siue palam, quasue etiam adeptus Pontificatu, sicuti in rerum omnium apice illo mutantur animi, uel nudantur, deprimendas sibi aut attollendas repente destinarat. Ceterum, quatuor annis & mensibus duobus (tamdiu enim regnauit) magnarum pontificalium actionum prudentia & grauitate, non suo tantum nomini, sed patriae simul huic parauit famam. Finita per eum Venetorum & Genuensium bella: rursus in Venetos, quia portoria exigendo, potestate maris abutebantur, vindicatum: uocata ad Sedis Apostolicae auctoritatem Graecia: datus occidenti Imperator: concita Christianorum in Saracenos arma: nihil quadriennio illo

omif-

omissum, quo publica salus & disciplina in perpetuum constituenda esset. Seculorum deinde aliquot interiectu, petitus ex eadem vrbe ingenio non dissimili Pontifex, cui ipsi non dissimilis in militari vita Iacobus frater fuit; duosq; Medicaeos, alterum toga, alterũ sago ad sũma enixos, inter exẽpla fortunæ siue virtutis ætas omnis feret. Post Piũ hunc Quartũ vltimus ad hãc ætatem ex vrbe nostra Pontifex prodierat, quem Gregorium X I V. appellauere cùm in priore fortuna Nicolaus Sfondratus is fuisset. Remissum ingenium placidique mores, & sincerus animus vitia Pontificis huius fuere inter eos, quibus nulla nisi callida toruaq; virtus placet. Cardinales, quæ proxima summo honori dignitas est, vel certe prima post eum, quinquaginta prodire ex vrbe hac: bello nobiles item extitere maiore etiam numero, sicuti necesse erat in terra, quæ raro vnquam olim à bellis quieuit; & in omni ciuitate, gloriam & studia veterum posteri æmulantur, stimulosq; semper magna exempla addunt. Antiquissimus omnium Mediolanensium, qui tractando strenue ac feliciter arma in eo truci genere claruerit, atq; hauriendo mortalium aliorum sanguine, tristem eam palmam, laudemq; illaudatam tu'erit, Ducarius fuit. Hunc inhumanitatis commendatione eiusdem carissimum fuisse Annibali memorant; Consulq; Flaminius ab eo in acie interfectus terribile Mediolanensium nomen Senatui fecit populoque Romano, & gentibus, quæ Romanos tantummodo antea, siue Carthaginienses timebant. Post eum cœpit militaris fama extollere Mediola-

diola-

diolanensem item Rufum, qui Romae ter consul fuit, ter populi Romani exercitum ductavit, & pulso Vindice, imperium asseruisse non sibi sed Patriae est dictus; cumque apud Alsiatum in agro Mediolanensi, monumentum ei fieret, inscriptio est addita ea, quae monumento ipso hodie perennior durat. Sed & ple-rosque tulere alios prima illa tempora florentis aut afflictae Reip., qui in re bellica consilio manuque boni munimenta patriae haberentur; & rursus eis alij strenui milites, atque ductores exercituum disciplina & aemulatione gloriae succreuerunt. Procedente de- in tempore & gliscente semper apud posteros admiratione priorum, soboles hinc prodijt illa militarium virorum, quae Regnis fere omnibus sufficeret, dum in discrimine quique suo principes aut populi, gerendorum bellorum administratores siue Chiliarchas, aut Tribunos, vel alia praesidia rebus tuendis ab Mediolano expeterent, Gallus, Neapolitanus, Anglus, Pannous, Boemus, Veneti quoque & Florentini, & Caesares, & Pontifices; quarum dominationum, in urbem hanc, sicut iniuriae, ita etiam honores & beneficia manauere pro- ut ex eo militari commercio, mutua studia, vel pro studijs offensiones iraeque exarserant. Et postquam Austriacae ditionis Insubria facta est, Reges semper illi, tuendo imperio circumferendisq. armis ab Metropoli sumpserunt quantumcunque imperitantium artes petere solent à subiectis, ac vicissim praemia & munera contulere largiora quàm vt in subiectos. Ita Mediolanenses, externorum, siue suorum Regum munificen-
tia,

ria, priscis temporibus, siue recentihac aetate, publice vel priuatim assecuti sunt, vt in alieno etiam imperio, mediaq; seruitute & parte dominationis hodie perfruantur. Adeo scilicet in tam numerosa nobilitate raræ sunt domus, queis non municipia siue rura aliqua obediant; stemmataq; passim & tribunalia stant apud minores penates, quos ipsos stemma de indetribunalq; macius vrget. Demarchi, Comarchi Toparchæ, Principes etiam & Reguli, foris dominantur, in vrbe seruiunt absentis regis præsentia maiestati, atque hoc ipsum seruire maiestas ipsis splendorq; est. Bonas artes, & literarum studia semper coluit Ciuitas etiam inter bella & seditiones, quæ nullam magis gentem exercuere; demonstratūq; alibi est, quemadmodum, & librorum copia iam inde à primordio vrbs publicè proflare excitandis ingenijs, & alimentata de publico item essent constituta ingenuis, quorum humilis alioqui fortuna subsidium id postularet. Palatinae Scholæ etiam antiquitus fuere in vrbe Romanum opus iam inde scilicet ab eo tempore, cum Caesares Mediolani tamquam in altera imperij sede commorarentur, alteramq; Romam dici hanc vellent. Obtinuit eas Scholas D. Augustinus, quem Roma ipse inuidere potuit nobis, eaq; rudimenta fuere gentium Doctori, cum dicendi artem, quantamcunque capiebat ætas illa profiteretur. Par fama secutis fuit, quantum etiam assequi celebre illud ingenium potuerat quibus haud perinde fauerat Numen. Neq; Chalcondylas, & Chrysoloras, & Aonius, & Merula, fuere

post Augustinum primi, qui cum plurima, & veneranda imagine antiquitatis ea in sede profiterentur. Olim publico sumptu Gymnasium steterat: nunc Regis ære sustentatur. Doctores, sua quisque munera statis horis obeunt, qui Graecæ, quæue Latinae linguæ specimen idoneum dare potuerunt, quosue etiam, uti corruptela rerum omnium est, audacia fauorue aliquis extulit in eum locum, munerique litterario per ambitionem admouit. Iuris ciuilis elementa qui iuuentuti tradat, eligitur ex nobilium Iureconsultorum Collegio, non tamquam ad munus, & stipendium, sed exercitationis experimentique causa, ut ad maiora nitentibus eæ scholæ spem roburque addant. Etiam iuuentuti, quæ post primas pueriles litteras ad primordia illa ciuilis prudentiæ accedit, gradus ad Ticinense Gymnasium hinc paratur. Canobianam Academiam instituit eocognomine ciuis vnus, virorum etiam oblectamento, non iuuentuti tantum erudiendæ, diuisis inter philosophos muneribus, ut ab alio disciplina de moribus interior elegantiorque explicetur, Mathematicis alius insistat, non nemo differendi subtilitates versutiasque tractet. Ipsa Gymnasij sedes capaci & excelsa rotunditate fundatoris animum præfert; ac morali præsertim philosopho sexcenti sunt annui attributi; scilicet, ut non gregarius quotidianusue aliquis, quales nimium sæpe philosophastros, rancidum, & rude garrientes apud Gymnasia pleraque audimus, sed politus quidam, & latinus, & præter spectatam in suo illo genere profunditatem, multa poetarum omnium, multa

multa veteris memoriae pertractatione, Graecaque imprimis ex cultus litteratura conduceretur. Et queis omnia ista adessent, reperit adhuc velut in suo sinu abunde ciuitas, nisi si forte semel rerum domesticarum insolenti fastidio externos etiam voluere experiri. Indigenas porro philosophos, quos Canobiana haec emolumenta excitauere, quamdiu Ciuitas eadem in conspectu habuit, iniqua semper erga viuos aestimatione, vel ubi decesserant, recenti in mortuos etiam inuidia, sicuti homines ceteros locuta est, aut oblivioni dedit. Futura vero secula eosdem admirabuntur, semperque in ore habebunt, Octavianum Ferrarium, & Lacchariam Caimum, & eum, qui scribente me ista philosophabatur in eadem sede, Ludouicum Septariensem, capita nata scientijs, libros peruagata omneis, vitae etiam spatio testata culmen principatumque artis. Et scholae quidem istae prius in vrbe fuerant non disciplinarum tantummodo iuuentutisque causa, sed etiam ad otium honeste oblectandum, quibus id ipsum nihil agere graue esset. Postea, inducta in urbem societate Iesu, frequentia maior in Braiden- se Gymnasium incubuit, non solum, quia Patres, aptiore quadam forma constitutas statim habuere Scholas, progressusque iuuenum simul exhibere mirificos, & magnos, sed etiam, quia noua semper veteribus officunt, & ciuitatibus quoque ipsis, non animis modo singulorum libido inest, recentissima quaeque confectari veluti per satietatem. Venere Patres in Urbem accitu Diui Caroli, sicuti dictum est, idque accidit anno

c. 15151x. Prima eis tecta fuere ad D. Viti, quae sacra Aedes, Ticinensi via, capace satis domicilio adiuncto, peregrinos, commode, vti erant initia, admittebat. Ibi Sodales, cum aliquandiu detenti fuissent, fausto mox agmine, tota cum laetis ominibus proficiente Ciuitate deducuntur ad D. Fidelis Aedem, quae humilis, & angusta tunc fuerat, paulatim inde creuit liberalitate ciuium, & Patrum fama; atque hodie finitima tecta superbi quondam Liguris & humanae superbiae insurgentem ibi in vicino pompam obterit maiestate sua. Sed postquam Humiliatorum ordo sacrilega ab surde ausus excidium meruit, ab D. Carolo in domicilia eorum inducti, vacua propter scelus alimentata sanctius honestiusque occupauere. Ex eo tempore, ad Braidam alumni scientiarum, & magistri, ad D. Fidelis, magistri ducesque animarum, discreto in duas familias Ordine agunt. Sub eorum aduentum, institutum Mediolani Seminarium est ad D. Ioannis Aedem, vnde litera, & humanitas, & disciplina Clero toti. Ducentorum iuuenum domus, translata illuc ex patrijs penetibus tenera aetate ad Sacerdotales vsque annos detinet in vtriusque philosophiae studijs Ecclesiasticam sobolem; puerosque philosophos, & Theologos adolecentem imbutos simul varietate linguarum reperias ibi, qui publice docere eadem possint. Si qui in tanta multitudine reperti sunt forte tardiores, segregantur à ceteris, & in Collegio separatim ignobiliore exercentur ad diiudicandos Christianae vitae casus, atque per compendia quaedam, arte regendarum animarum

rum

rum imbuuntur. Agrestium Parochorum id fere Seminarium est. Ex altero Seminario maiores Ecclesiae magistratus, & munera ampliora suppleuntur. At ex Collegio Germanico mittitur in Heluetiorum Rhaetorumque pagos ad fouendas illic Catholicae fidei reliquias literata Clericorum manus, qui rudes, & barbari ab primordio aetatis ducti inde in urbem, ut redire domum, scientijs, & modestia vitae miraculo sunt inter suos; nouaque semper proles ex rupibus pagisque illis Mediolanum ad spem eandem destinatur. Tecta, & alimenta prius ea fuerant venaticorum canum immodestiaque totius, quae Humiliatos ad facinus prouexit, quo excidium sui Ordinis meruere, ingentesque diuitiae hominum illorum infelicium, ordine sublato absurdo, & inutili, in praecleara, & mirifica haec cessere. Nostra deinde aetate, Cardinalis Archiepiscopusque Federicus, sublatis etiam prioris nequitiae aedibus, ibidem excitauit moles, qualia decebat esse literarum, & sapientiae tecta, ut ingenia iuuenum etiam pulchritudine, ac maiestate domicilij prouocarentur. Stant spatiosa, & alta conclauia, columnatae porticus, atria solitudinum instar; ingrediensque aliquis, facilius ipse iudicauerit, quam hae literae demonstrauerint, homines Reges, illa, vel commoditate, vel splendore ad habitandum posse esse contentos. Extruxit Borromaeus, & posuit haec domicilia Musis, postquam studia literarum artiumque omnium ipse constituerat; magistrisque partes, & docendi taedium in Purpura non dedignatus, noua disciplinarum itinera Clero aperuerat, ut qua ipse incessisset

cessisset

cessisset via, leniter ac tuto deduceret suos. Et nondum historiae locus erat hic narrandi praeterea magnum Bibliothecae opus, & quas ille Collegio Ambrosiano vias monstravit, ac reliqua Pontificis eius opera inducendis in Patriam hanc literis, atque per gloriam, & nitorem earum, inferendae in aetate nostram antiquitati. Singularum quoque Paroeciarum templa, cum squalerent vetustate sua, & prope collaberentur, scribentibus ista nobis, ille renouabat atque instaurabat assignato in publicum censu, flexa ad Ecclesiasticam modestiam profanorum delubrorum arte, & emendata veterum structura politis inuentis, ut antiquitatis imago cothurnum atque umbras recenti elegantiae addat, & antiquitas ipsa vicissim refoueat in amoeno hoc floridoque cultu. Talia surgere templa in prisca- rum aedium vestigijs Tribules quique admirantur, & Paroeciarum merito conditorem Borromaeum, ceu Monachum alterum ventura secula populi Mediolanensis loquentur. Sed, & Fulcorinam, & S. Mariae Pedonis Aedem augere Canonico Collegio parabat, ut antiquissima monumenta Dei Matris ostenderet populo magisque commendaret. Posteriores vero hanc, propterea quod veterum Borromaeorum ossa tumulo illic cohibentur, instaurare a fundamentis parabat, ut noui operis dignitate splendidoque cultu magnitudini Domus responderet. At in diuersa parte Urbis ad D. Euphemiae, qua Domus alia Borromaeorum noscitur, ne ulla monumenta Auorum sineret indotata superum cultu parabat Deiparae cellam coagmentatione gemarum, quae sectae, & coassatae singulos colores picturae ratione operi pra-

prestabunt, eiq. faciundo rerū natura margaritis pretiosissima sui parte sic ancillata erit. Sane pingi demū ita salutis humanae Parentē Diuā maxime conueniebat in Vrbe quae cultu ac veneratione eius iam cetera cuncta pietatis experimenta consumpsisset. Neq. opibus tantum, & fortunae magnitudine Borromæus augebat ita celestium cultū & religionem Urbis, sed maiora interim erant opera Oratoris diuini, miraculumq. eloquentiae Populo Mediolanensi exhibuit nuper cūm dedicata ad D. Barnabae Fontem Ara, de inlytis illis aquis ac de religione loci sub dio concionaretur. Tot millia mortalium ibi in campo, clauso velut ore, ac veluti ne reciprocante quidem interim spiritu fixa in silentium vidimus; enixos in arborū summa plerosq; iuuenum, pendentemq; concionem in ramorum nexu. Primam & antiquissimam Mediolani sacrorum sedem hanc fuisse dictum est in priori operis parte cūm Apostoli Barnabae aduentum, & initia religionis traderemus. Parua ea cella fuit inaedificata Fonti, qui, subita, & larga scaturigine aquarum, peregrinantem circa urbis moenia Apostolum inuitauit, vt subsisteret ibi, atq; confluētes ad Christiana sacra populos celestibus eis lymphis expiaret. Proxima antiquitas Aedi, quam Apostolus idem, media in urbe, Saluatoris nomini dicauit, siue delubrū id inanis alicuius Dei, siue publica aliqua sedes, siue priuata domus fuerat. Suppresso post ea Saluatoris nomine obrcuerentiam credo altitudine in que nominis, Tecla uirgo & martyr obtinuit Téplum, atq. in illa sede consecrata est. Rursus, haec ipsa Aedes uetustate iam fatiscens, auorum memoria diruta est,

tran-

translatoq; in Templum maximum omni diuinæ Mar-
tyris ministerio, & cultu, supellex illa simul, & sa-
cer apparatus, & quicquid reddituum erat, in Metro-
politani Templi Maiestatē concessere. Patescebat in
diuersa vrbis parte sanctior campus ob madentes in-
clyto Martyrum cruore glebas, atque sepultos illic
Christianæ fidei proceres, quorum tormentis, & cæ-
de fundamenta Ecclesiæ huius iacta. Namque Philip-
pus Oldanus e primis Barnabæ filijs vnus, quos ad
fontem ipse susceperat, conuersa sua in templum do-
mo, hortos quoque circumiectos in eum sepulturæ
usum abdicauit vltro, & sacrauit. In Domus area
stetit omnium Sanctorum Aedes, quæ deinde anti-
quata priore appellatione, templum fuit Naboris, &
Felicis, ac variante cuncta æuo, Franciscana Aedes nun-
cupata est, idq. hodie nomen manet, multum aucta
maiestate ob sacella, quæ primi ciuium posuere; &
Ioannis Borromæi tumulus sacellumq. D. Ioanni
Euangelistæ ab eo ibi extructum, marmore, & auro, &
artificum ingenijs mostrant piorum operum magnifi-
centiam, quæ prioribus sæculis in vrbe fuit; & nostra
ætas æquare non potuit antiquum splendorem, cum
dilapsum illic aurum euanidq. colores nupera Federi-
co Borromeo Cardinale restituerentur. Quæ steterant
horti, templa alia duo surrexere, quæ mutatis etiam ip-
sa nominibus, D. Ambrosij alterum nunc, alterum Diuæ
Valeriæ nuncupantur. Eadem regione vrbis, gemina
Philippi proles, Portius, & Faustus paternæ pietatis
imitatione posuere templa, quæ prius ab conditorum
nomine, dein ab D. Vitalis, & D. Martini, cultum re-
ligio-

igionemque acceper. Patruus horum Castritianus, post Barnabam Anatalonemq; & Caium, Episcopus Urbis D. Ioanni Euangelistae sacram aedem extruxit, Martirij eius monumentū, addiditq; cognomen ex feruētis olei Conca, quo demersus ille ambustusq; est. Id templum Romana via Carmelitae Fratres habent; & porta eadem egredienti fit ad dexteram D. Calimeri Aedes, quæ, sanum Apollinis antea, post Episcopi eius admirabilem diuinumq. Pontificatum sacrata est ipsius nomini; & Archiepiscopus Crassus, circumactō Apostolicæ simplicitatis tempore, opulentiore iam Metropoli, aureum altare, quo reliquiæ Calimeri ipsius conderentur, adiecit. Monas hinc ille, sextus quidem Episcoporum, primus verò constituendi populi describendarūq. Paroeciarum author, Apostolorum Principi Basilicam instituit acceptis ab nobili ciue ædibus, & honore vicissim habito ei, vt familiae illius posteri à Basilica Petri cognominarentur. At Græcus Eustorgius præcipua sua erga Christi incunabula pietate & sensu, trium Magorum memoriam, populo Mediolanensi colendam exhibuit iuxta D. Barnabæ Fontem, quæ deinde Aedes fenescente Regum cultu, cultum nomēq. pontificis, à quo fuerat extructa renouauit, & Basilica Eustorgiana dicta est. Atque hæc quidem fuerant diuini cultus apud maiores nostros primæua domicilia & antiquissimæ sedes, quas ætates postea infecutæ laxius magnificentiusque excoluere additis opibus ad tuenda sacra, collegijs ordinum sacrorum, & quicquid in aliena Metropoli satis esse posset ad maiestatem, etiam si ni-

M m m m m m hil

hil aliud præterea religiosi sacratiq; haberetur.
Deiparæ Virginis Aedes quæ dicitur ad D. Celsi,
illa complexa breui compendio quicquid prædi-
ues aliquis & eximius in superum cultu conari po-
pulus queat, originem duxit ab Nazarij Celsique
Martyrio, quos Anolini sæuitia, sub Nerone lacera-
tos, diuq; ignobili tumulo apud Ceratium quendam
occultatos, diuinus Pastor Ambrosius vt reperit di-
uersa in latebra, Nazarium quidem transtulit in Basi-
licam Apostolorum, Celsum verò ibidem vbi erat in-
uentus reliquit; Et extructâ super tumulum vtrumq;
Cellâ, quâ Nazarij corpus steterat, pingi Sanctissimæ
Virginis imaginē iussit, quæ deinde imago, tamquã trã-
suso in colores & lineamenta celesti spiritu perculit
& obstupescit sæpe miraculis urbem, & manet adhuc.
Atque cum cresceret quotidie dignitas ac frequentia
loco, & salutarium beneficiorum monumenta certatim
ibi statuerentur, motus est vltimi Vicecomitis animus,
vt pro magnitudine Diuæ & ciuium concursu faciendū
ibi templum locaret. Addita est principis eius mune-
re ac pietate pecunia sacris faciendis, & sacrorum eo-
rum iura sunt assignata Vicecomitum Genti, vt dispen-
satio arbitriumq; in domo esset. Post aliquot inde
annos, tempore, quo pupillum Sforciam Ludouicus pa-
truus tyrannica tutela opprimebat, die quodam, cum
eo in templo ad aram imagini appositam res diuina fie-
ret, beatissimo lumine circumfusa Deipara, populo quĩ
aderat, inspectante, effulsit, dimouitq; sua manu ve-
lum,

lum, quo pictura tegebatur, & excitato ad rei miraculum omnium clamore, stetit in iisdem vestigijs aliquandiu, deinde inenarrabiliter est repente subducta. Ea incrementa maiestati, quæ concitos illuc admiratione rei populos præfert, & fit ipsa prope miraculum artis. Tabella, quæ visionem narrat, pendet templo, & leguntur eorum nomina qui adfuere. Conterminum huic Aedi templum diruta humiliore cella extruxit D. Celso Landulphus Carcanus Archiepiscopus vrbis, addiditq. Monasterium & Monasterio opes, quæ super Monachorum alimenta, pars hodie Romani splendoris fiunt, amplissimumq; sacerdotium nouit Aula. Par opulentia splendorq; Benedictinis, ad D. Simpliciani Aedem, quæ item ab sui primordio fuerat dicata Sanctissimæ Virginis nomini; sed postquam D. Simplicianus, acto diuinitus Pontificatu & expleto virtutibus ac meritis quicquid capere mortalitas potest, ibi conqueuit, studia ciuium retinere id nomen, ipsamq; adeo Basilicam ditauere prædijs & vestigalibus, quæ tuerentur Pontificis cultum famamq; vrbis. Basilicæ Ambrosianæ, quam Sanctus Pater Ambrosius ereptam superstitioni vanitatieque gentium, sanctioribus ceremonijs, & veri Numinis adoratione consecrarat, diximus alibi decora & honores; sed repeti hoc aud alienum fuerat; creuisse sic nimirum eam Cæsarum certamine, dum priuilegia & dona cumulando illuc, semper anteire alius alium inuicem student. Et Pontifices ipsi in eo studio anteiri sese à profanis quodammodo profanum improbumq;

Mm m m m mm 2

existi-

existimauere; vestigiaq. & monumenta magnarum illic olim rerum, & nobilitata cuncta mysterijs, certamen æmulationemque eam accendere potuerunt. Inde illa principum liberalitas, Archiepiscopusq. Pusterula totam ex auro aram posuit interuenientibus gemmis, qua munificentia, successores suos commouit, cum sollicitassent veterum dona ipsum, ne Ambrosianam illam Aedem Ambrosij domicilium ipsius parcius segniusque excoleret. Pusterulae fere opus eiusdē fuit, sub Quatuor Mariarum nomine aperta domus publicæ cgestati, vt tamquam e publicis penatibus infima plebes alimenta & subsidia vitæ petitum eò iret. Namque Archiepiscopus ille, cum passim quiritantes ob famem ex infima plebe iacentesq; per compita multos videret, hortari cœpit nobilissimum & ditissimum quemque ciuem, vt dignum aliquid genere ac pietate sua susciperent subleuandæ infelicium calamitati, ne scilicet perirent fame quibus obrigisset, vt in vrbe tam opulenta, & inclytata nascerentur. Fortè interim nobiles viri tacti desiderio ac pietate adeundi terram, quæ Patria Saluatoris fuit, suscepta illuc peregrinatione tetendere grege vno, atque diuina ibi vestigia venerati cum lacrimis & perfusi gaudijs incomparabilibus incolumes reuenerunt domum. Præcipuo sensu ac teneritudine animi commoti erant erga Sanctissimæ Virginis nomen, prouectiq. pietate in illam, treis etiam alias Marias Deiparae sorores, sociasq; tormentorum inter sese differendo, veneratione, & cultu dignas esse autumabant. Stat sententia moliri dignum aliquid origine sua, & Diuarum

&

firpe; memoresq. etiam Archiepiscopi consiliorum
destinauere pauperum alimentis praedia, quæ amplif-
sima habebant. Ea donatione publicam domum sibi
esse iustituendam, quæ Quatuor Mariarum diceretur;
idq. in itinere ipso votum nuncupauere. Res deinde
confestim ad Archiepiscopum Pusterulam delata com-
probatur ipsius autoritate; dantur instituta & leges
& ministerium omne nouæ Domui; Archiepiscopusq.
ipse, quo primum die fundata domus & aperta est, rem
diuinam fecit, attribuitq; de suo florenos aureos du-
centos, quò expeditiora primordia operis forent.
Dies eius inchoati operis fuit ad x. Cal. Iunias anno
salutis 1566. xlv. mense altero postquam cohors ea no-
bilitium virorum ab Hierosolyma rediisset; meruerantq;
etiam ipsi, vt quo quisque fueriat nomine agente
in transcurso hoc sacrorum operum diceretur. Fuere
autem; Guidus Vicecomes. Vbertus Pirouanus. Petrus
Pusterula. Gaspar Vicecomes. Federicus Cribellus.
Gulielmus Pusterula. Thomas Crassus. Paulus Marlia-
nus. Cæsar Paganus. Vincentius Cattaneus. Bernar-
dus Cittadinus. Carolus Pusterula; hi singulos alios
assumpserunt. Ita quatuor & viginti numerus effectus,
biniq; in singulas vrbes regiones descripti. Reditus
annui triginta millium aureorum summam expleuerat,
nisi bella infecuta, conditione iniquiore locari pleraq;
in perpetuum alienariue coegissent. Id aliqua ex par-
te damnum sarcitur magnis ciuium aliorum liberalita-
tibus, quæ imitatione priorum subinde excitabantur.
Et Ioannes Archiepiscopus, idemq; princeps vrbes, ex-
ingenti.

ingenti fortuna, qua imperium vtrumq. tenuit, contulit eò vectigalia & fundos; Cæsarumq. & Regum beneficia ad tuendam loci dignitatem adiuere. Ambrosianæ Aedis antiquitati (nam inde diuenteramus) compar antiquitas fuit Aedis quæ D. Victori sacra, ab Martyris ejus ibidem asseruato corpore cognomen tum tenet. Basilica hæc fuerat iam inde ab temporibus Apostolicis exstructa per Portium Philippi Oldanifilium, quem Barnabus abluit sacro Fonte. Sanctus Pater Ambrosius ibi quoq; habitauit cum cederet furori Arianorum, qui cõgesta lignorum strue circa valuas facibusque subditis, absumpserant incendio templum; & Vir Dei diuinitus euasit. Miracula simul & iniuriæ fecere huic etiam Aedi Magnas opes, quæ ab necessario cultu sumptibusq; sacrorum ad illustres Ecclesie viros redundauere; nec leue certamen ambitioni, quis D. Victoris Abbas fieret. Demum Oliuetani Patres egere cum Andrea Gallarato, qui Abbas fuerat vltimus, vt ea vectigalia Sacerdotiumq. ipsi haberent, resq. conuenit in eas conditiones, quæ parti vtriq. placuerunt. Patribus postea curæ fuit, vt reliquias & vestigia illa quam splendidissime frequentarent; curaq. eorum & splendore, stetit Monasterij simul & templi moles, quæ visitur inter decora vrbs. Laurentiana Aedes, antiquior, non sanctior, Herculis primò, siue, vt alij credidere, Apollinis inane fanum fuerat, rotunda forma, quale Romanum Pantheon adhuc cernitur. Postquam sublato & spreto ficti Numinis cultu, Laurentium Martyrem ea in sede christiana religio venerari

rari instituit, haud minora pro Martyre studia piorum regum exarsere, quàm quanta effusione prisca vanitas Heroi suo monumenta illa adornauerat. Namque Placidia Galla, quæ, Cæsaris filia, & soror, & mater, & coniunx vnico ad eam aetatem inter Christianos exemplo fuerat, profanam illam superbiam impiosq. sumptus obruit pietate sua additis ex ritu consuetudineque nostra omnibus quæ Romanæ superstitioni magnifica vnquam fuere. Cetera Augustæ opera, quæ Martyris Aedem christiano ornatu supra fastum omnem Idolorum extulere, sunt absumpta fortuito igni, quo Aedes aliquando tota conflagrauit, collapsa in cineres redacta. ad metallum informe, turpiterue ambusto ac torrefacto quicquid Reginae opibus, & artificum certamine celebre ibi inclytumq. erat. Aquiliniani Sacelli superstites reliquæ monstrant eorum etiam quæ perire pulchritudinem. Genesio Martyri posuerat id Augusta; postea veterem religionem aboleuit recenti semper & perpetuo miraculo situm ibi corpus Aquilini cum capillo adhuc & cute floridum incorruptum, atq. per tot secula exemptum vetustati, quæ marmora etiã exedit. D. Nazarij Basilica fuerat ante Regnum Euangelij superbia & fastus inanibus dijs, ideoq. Principibus Apostolorum dicauit eam Pont. Ambrosius; postea translatum illuc vt demonstrauit ab eodem Pontifice Nazarij corpus appellationem quã indiderat ille mutauit. Primæ tamẽ originis reuerentia manet, ac sacra quotannis Petri & Pauli dies maiore pompa ibi & apparatu solenniore agitur, quod monumento esse possit primordia illa Aedis fuisse. Excoluit hanc Aedem strauitq.

uitq. marmore Serena Siliconis, cum pro viri salute,
& reditu votum id nuncupasset. De D. Stephani tem-
plo, quod Nazariano huic, splendore ac dignitate Col-
legij proximum est, neque dubia pro veris affirmaue-
rim in origine eius tradenda, & quid veri sit in varijs
authorum sententijs explicare nondum potui. Cuius
sententiam vnam indicabimus carmen, quod ad tem-
pli valvas in lapide incisum deplorat absumptam in-
cendio aedem, quæ diu pulcherrima omnium fuisset;
estque ei carmini adscriptus annus humanæ salutis
millesimus septuagesimus sextus. Inde facilè conie-
ctaueris Basilicæ vetustatem, & decora alia, cum ante
veterem eum casum antestetisse pulchritudine alias di-
catur. Post incendium renata, cum rufus magnificen-
tiæ nostrorum temporum improbaretur, nouam ipsa
quoque faciem introrsus accepit; ab exteriori parte
frons templi manet, qualis olim fuerat; eique reno-
uandæ destinantur sumptus, queis vrbes aliae non
vnum extruere templum possint. Ea ciuitatis nostræ
pietas erga Christi Protomartyrem fuit; scilicet vt qui
suo sanguine primus viam in celum tot millibus osten-
disset, præcipuis etiam ille honoribus coleretur. At
Rocius Cortesella ciuium vnus; admiratione, & pieta-
te erga sanctissimam Christi necem, media vrbis regio-
ne ornauit S. Sepulcro Aedem, posuitq; ibi simulacra
partium singularum illius tremendi Actus, quò vio-
lentius in mortalitatis oculos eminentes fi-
guræ, excuterentq. sopitæ mentis aciem obiecta tor-
mentorum facie, & sanguinis quo redempti sumus.

Cor-

Cortefella Canonicos quatuor, Monachos octo ad frequentandam diuino cultu Aedē instituerat; nostra deinde aetas & sancti Pontificis diuina cura, cū omnia prouidentius atq. vtilius mutaret, Ecclesiasticae disciplinae literaturaeq; sanctioris domicilium id fecit, habito semper & ibi collocato iuuenum sacerdotum delectu, qui ad omnes Archiepiscopi nutus obtulere sese vltroque deuouerunt. Anselmus Pufferula Paroeciam ibi instituerat eiusque monumentum institutionis repertum est in Gratiani Cantoni aedibus, quæ cum cetera vicinia Paroeciae ei contribuebantur. Res tota tēplorū vrbis breui cōpendio peragi in hunc modum potest. In vniuersum erant bis centum quadraginta tria; Paroeciae septuaginta tres: Monasteria sexus vtriusq; octoginta: Collegia Canonicorum vndecim. Publicorum verò operum, vnde subsidia & alimēta pauperibus præter Xenodochij maximi, & quatuor Mariarū indicatas iam opes, & si quæ alia insuper ostendimus, larga adhuc & ditia quaedam patebant. Nam Sanctæ Coronæ Domum instar xenodochij cuiusdam honestioris Ludouico Sforcia regnante, duo prædiuites ex illius aula viri instituerant, vt eius liberalitate Domus curarentur apud suos quisq; lares, queis in publica illa ægotantium pauperum multitudine conspici graue indecorum ue esset. Pharmaca hinc, & potiuncularum omne genus, & viribus quoque in vltima debilitate refocillandis pretiosa scitamenta, & succi, gratuita omnia affatim præbentur, qualia diuites ægroti pauperibus istis inuidebunt, ob simplicium semper illic bonitatem, delectumque &

N n n n n n curam,

curam, quae miscendo & componendo summa ibi adhibetur. Circumeunt verò Medici quotidie decumbentium domos & explorato cuiusque statu necessaria singulis atque opportuna praescribunt. Eadem circumeundi cura Sacerdotibus est, & inspiciendi quid cuique desit, feruntque pecuniolas secum, & praesenti subsidio corpora animosque solantur. Nec semper agrotare necesse est, ut subsidiorum huiusmodi particeps aliquis fiat, & ea Sanctae Coronae liberalitate sustentetur. Etiam recte valentium necessitatibus miserisque subvenitur: puellae ob egestatem desitutae dantur nuptum: & ob aes alienum victi saepe ex hac domo stipem accipere, qua sese exsoluerent redimerentque lucem. Annotatum relatumque est, sena fere quotannis aureorum numerum millia officijs huiusmodi insumpta esse, praeter patentes assidue tantae multitudini pharmacopoeia, squarum potissimum causa inuenta res ipsa est, abundeque sufficit sumptus ob magnas subinde hereditates, quae ad piam eandem domum peruenere. Erant praeterea in urbe alique pauperum domus, quae titulo inscriptioneue ipsa publicae benignitatis dexteram quasi tenderent egenti populo, vocarentque vltro ad stipem accipiendam. Misericordiae namque, & Charitatis, & Humilitatis, & Diuinitatis sodalitia quae dicuntur, fundauerant superiore aeuo ciuium primores, quibus in magna fortuna mitis piusque sensus fuit; hiique sub nominibus eis, vel seorsim singuli, vel plures simul, paternam omnem curam prospexerant atque constituerant miserimae plebi, panis & salis & vini copiam, vestimenta quoque, & pecuniae partem, ne sexus miseripolem.

prolem cum periculo vel dedecore domi haberent. Fuc-
re operum eorum auctores, Vitallianus Borromæus, &
alij quorum nomina in sodalitatum ipsarum litteris,
monumentisque extant. Lazarinus Legnanus, item
exstructa, quæ Corporis Christi Aedes dicitur, præ-
ter sumptum in quinas quotidianas Hostias, reditus
annuos addiderat, vnde plures honestæ puellæ dotem,
& vestimenta viri quotannis ab vertice summo ad pe-
des imos acciperent. Iam per singulas portas regio-
nesque vrbis, ad templa & aras, ad Oratoria & fa-
cella, descriptæ per menses, aut hebdomadas, diesue
singulos fuere piæ largitiones rerum ferme omnium,
quæis vita sustentatur. Ac sicuti dictum alibi est, Gal-
licis vtique temporibus pleraque largitionum earum
fuere instituta, sicuti mortales, in periculo, vel metu, me-
dijsve malis maxime religiosi esse consueuerunt. Pie-
tatis Montem (id sodalitati nomen, quæe pignoribus ac-
ceptis, absque vlllo foenebri pacto cumulante vsuras
gratuito pecuniam commodat) id Christianæ benigni-
tatis opus viri nobiles in media Ludouici Sforcie tyran-
nide instituerunt, cum inter magnas principis eius cla-
des, Ciuitas simul ipsa crebris Gallorum eorundem in-
cursibus sæuissime laceraretur. Eadem Sforcie ætas,
in magna pestilentie calamitate, atque in posterum me-
tu, auxit urbem opere alio, cuiusmodi nullum alibi ad-
uersus publicam hæc infortunia extare crediderim. Cum
enim antea, sæuiente peste, quos lues corripuerat, vel
ad Gregoriana prata, vel ad casas nouas, viri feminaq;
et totæ gregatim domus ablegarentur, atque circum

eas solitudines agmina infausta procul ab ciuili ope cō-
 tabescerent; res digna magnitudine principatus, & vr̄bis
 est visa principi ciuibusque, separatam populo pestilēti
 ponere vr̄bem, quæ sub ipsa maioris vr̄bis mœnia, suis
 discreta & cincta mœnibus, nec inficeret contagione in-
 tegros, nec à publico subsidio discluderetur. Condendæ
 parua vr̄bi sedes est electa in saluberrima suburbana
 parte medio campo nouam inter Orientalemq; Portā,
 quā planities amœna purissimi solis radios & mollem
 ex Briantæo celo auram foecundo etiam sinu excipit.
 Architecti cū diū inter se certassent formam denique
 operis quadratam antetulere; eāq; receptā, cū strenue
 vr̄geretur opus, intra annum steterē tecta accipiendæ
 multitudini, quantamcunque pestilentia aliquando eij-
 cere mœnibus posset. Excurrunt in latera singula sep-
 tuagenæ quaternæ domus, ad lineam directæ, murusq;
 extimus, & frontis ipsa substructio mœnium est instar.
 Satis lata fossa circumdata est in omneis partes: per
 eam fluunt copiosæ & salubris aquæ perennes riui: ob-
 uersæ sunt in eos fenestræ: laterum singulorum longitu-
 do colligit mille fere passus: ab interiore parte colum-
 nata porticus vndequaq; seriem ædium comitatur: por-
 tas claustra ista aperiunt duas, vnā in meridiem, alte-
 ram in septemtriones. Campi spatium, quem structura
 vniuersa includit, dimensi decempedatores retulere ad
 perticas vt loquuntur ipsi ducentas triginta vnā pau-
 loue amplius. Medio hoc spatio stat ara conspecta vn-
 dique, superne contexta, vt neque affluant imbres, &
 ab limine sui quisque tecti sacra visat. Cardinalis Asca-
 nius

Afcanius Ludouici frater plurimum adiuuerat id opus, cumq; Gallica mox arma superuenissent, Rex etiam victor, dignitate aedificij delectatus, tria millia nummum aureorum in fabricam eam contulit quae quidem principio descripta ita fuerat vt per totam campi latitudinem alius cubiculorum ordo continuaretur, eumque ipsum ordo alius interfecaret, atq; ita quadruplici per decussim serie tantumdem praeterea domiciliorum fieret, quantum hodie visitur. Sed tempora quae paulo post sunt infecuta curas alias attulere principibus simul & Ciuitati toti, donec pace reddita, negligentia etiam & obliuio operis successit. Ante haec pestilentiae tecta fundauerat publica pietas aliam domum alendis ex utroque sexu, qui egestate, & senecta miseri absque flagitio essent. Manet id etiam hodie senile xenodochium; eoque septuagenarij tantum & septuagenariae accipiuntur; sed quarta insuper ea conditione, si nullo alio quam senectutis morbo laborent. Numerus quoque definitus quo ne plures in capularem eam familiam accipi possint. Ad centum fere aluntur, non qualicumque nutritu, sed quo maxime aetas illa indigeat. Quod alimentis eiusmodi superest, in pauperes diuiditur alios, atque per omnia Christiani officij opera dispensatur. Nominatim autem in Crassorum Lampugnanorumque familiam legatâ a fundatoribus pecuniâ, prioris familiae binę quotânis puellae maritatur, alterius bini per octonos annos adolefcetes ad frequentanda litterarum studia stipem inde accipiunt. Hinc fides, ab earum maxime familiarum hominibus Xenodochium ipsum olim fuisse

fuisse constitutum. & ita quidam scripsere. Atque Hospitij quidem huius benignitate fruuntur indigenae tantum & honesti pauperes, quos naturale malum senectâ oppressit. Illud verò maxime peregrinis patet, quod Apostolo Iacobo antiquitus dicatum viri nobiles tuentur & munifice administrant. Ac sicuti Romanâ viâ, D. Petri quam antea diximus hospitalē domum, religionis causa peregrinantes Romam, siue ex peregrinatione inde redeunt, uti suam intrant: ita Vercellensi Porta, sub D. Iacobi nomine apertâ hâc alterâ, Hispani, Hierosolymitaniue peregrinatores, quibus subsidio aliquo opus fuit, petunt. Verè hoc iterum videor esse dicturus. Quot facies & formæ calamitatum siue egestatum humanarum sunt, tot præsidia mortalibus in hac urbe, vel ante D. Caroli Pontificatum, excogitata parataque fuisse, vel postea, novâ veteribus accessisse, sicuti antegressas semper aetates, tempora, quæ successere, æmulantur. Inter ipsas vltimi Sforcia miseras, & præcipitia ruinantis domus, cum hostes propulsâdo Gallos pateretur ciuitas eadem mala, quæ pertulit, ubi propulsare non potuerat, exorta est paterna cura hominis vnus, qui colligeret vndique puerulos orbos, & compulsos in vnâ domum aleret educaretque, quomodo bene moratus aliquis attentusque patens suos filios ali educarique vellet. Hieronymus is fuit Aemilianus origine quidem Venetus, sed gloriæ destinatus huic, ut apud nos prædicatione & fama renasceretur. Vtrumque principio fuerat eius opus; & Martiniana scilicet soboles, quæ subducta mendicitati excolitur artibus & disciplinis, & puellarum altera, quæ
sub.

subducta pudicitiae discriminibus sub D. Catharinae tutela excolitur item artificijs & disciplina, quam patitur miseria sexus, quaeue ubi matrimonij tempus venit, sit instar dotis. Postea parens idem & magister nutritiusque desertae alienae prolis, suam instituit etiam prolem auctor Ordinis, cuius initia pagum obscurum Somascam accepto inde nomine nobilitauere. Ea decora & subsidia vir externus addidit vrbi; simillimique spiritus alij item externi homines, quos diuitiae, quos pietas studio aliquo publicorum operum accenderat, veluti communem hanc gentium esse patriam rati, non secus atque natalem sibi solum eam excoluere. Nam Melchior Oforius natione Hispanus acta omni militarietate, stipendia denique sua, & pretium laborum insumpsit collegio instituendo, quo pauperum militum filij, & filix à primis annis ad militarem vsque aut nubilem aetatem alerentur. Melchior alter Bonauentura nationis eiusdem in cinerea lacerna Mediolanum profectus vna cum socijs viginti, conquirendo aegrotos, qui neque in valetudinaria admitterentur ob depulsam iam febrim, neque refici tamen & a surgere ex debilitate corporis possent, squalido ipse vultu, & inflexa ad miserabilem sonum voce mortales ad benefaciendum inuitando, commouit, vt noua cuncta solent, magnopere ciuitatem, parauitq. domicilium sibi, & socijs, & tabidorum gregi, queis, nec totus morbus, nec tota sanitas, ideoq. subsidia alibi nulla erant. Id hodie domicilium ad extremos Portæ Nouæ fines in molli culcitra, sub conopoeo quemque suo conualescentes delicate alit, donec nitidi & robusti.

busti quietis iam lectuliq. impatientes vltro ab cubili-
 bus exsilire . Coemêre Fratres aream ædificio tribus
 milibus aureorû nummûm, cum id spatij superaret finiti-
 mo Collegio, vbi nobiles iuuenes educantur; proteruiq.
 olim etiam ibi Humiliatorum habitarat. Hispanus de
 quo dixi prior ille pueris suis Vercellensi Porta emerat
 domum de principe item alienigena; & magnis eius Oso-
 rij cœptis incrementa maiora accessere postquam priua-
 ti hominis consilium Regis maiestas comprobauit. Sed
 ex nostra Insubria Cremonensis homo Bonus nomine,
 cum sacco & cruce principio desipere visus, mox rigo-
 re perseueranti & prædicatione aduersus impudicas, de-
 terruit ab infando quaestu plerasque, & earum grege ab
 lustris, & popinis in claustra pudicitiaë deducto, relique
 vitæ disciplina & sanctitate puriores innocentioresque
 fecit quàm si nunquam contaminatae fuissent. Huius
 deinde concionatoris exemplum secuti alij pari conatu
 & successu muliercularum flagitia vertère in pœnitentię
 miraculum, & Thaides pleraeq. ad Magdalenas ibant.
 Cumque fremente inhonestate, lupanaria quotidie de-
 fererentur, collegia alia facta feminarum huiusmodi
 quæ detestatione vitæ prioris meritum & decus virgi-
 nale æquarent magna hodie inuitamenta dedeco-
 ris exuendi castimoniamque amplectendæ,
 quodocunque ingenia forte illa salutis
 honestatisue amor
 tetigerit.